



















ch
ap



Ce traité sur la verole est rare très dificile a trouver. vaut 6 a 8 l.



# AVGERII FERRERII TOLOSATIS MEDICI,

## DE PVDENDAGRA LVE HISPANICA, LIBRI DVO.

Adiecimus

DE Radice Cina, & Sarza Parilia HIERONYMI Cardani iudicium.







ANTVERPIAE,
Apud Martini Nutij Viduam.
Anno M. D. LXIIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

P. C.

# PHARMACOPOEVS MEDICO S.

PVdendagram hanc Tolosæ ante annos decem ab auctore viro celebri, paucis exemplaribus typis euulgatam, quoniam non nisi difficulter admodùm, magna licet adhibita diligentia, vix tandem accipere potuerim: eamque iam adeptam quæ prælo iterum committeretur, argumenti ob vtilitatem, dignam censuerim: Ipsam eapropter limaciorem à nobis redditam, denuò ecce in ægrotorũ subleuamen, tuumq́; Medice, honorem, lubens tibi offero, atque benignè cõmunico. Vale. Antuerpiæ 1564.

## AVG. FERR. IVLIO CAESari Scaligero.

A te principium sumsit, tibi desinet vltrò
  Nominis emergens splendor & aura mei.
Tu primum teneræ ætatis monumenta probasti,
  Laudasti somnos, Pythagoræque dies,
Astrorumque vices humanis sortibus aptas.
  Ne cesses, mitto Parthenopæa tibi.



# SENATORI OPTIMO, AC OMNI DISCIPLINARVM GENERE ORNATISS.

## Petro Montaureo, Augerius Ferrerius Medicus S. P. D.



Hàs de morbo Hispanico, quem alij Gallicum, alij Neapolitanum appellant, Lucubrationes, quas superioribus annis, cùm ex aulico, quod illic gerebã, negotio Lutetiam diuertissem, Siluij discipulis communicaueram, humanitati doctrinæ, ac auctoritati tuæ do, dicoque, Senator æquiss. non vt eas, cùm susceperis, recondas, aut instar litterariæ cuiusdam gazæ cum secretioribus, dignioribusque tuis Musis colludere permittas: sed vt multiplicẽ illam censuram tuam adhibeas, ac iudices num ex Reip. commodo, ac dignitate mea futurum sit, si in lucem tam inelaboratæ, & tam citò prodeant. Reipub. quidem interest post tot, tantasque, sæuientis huius mali calamitates superfuisse neminem, qui rem, quod aiunt, acu attingeret, hoc est, artificiosam præstaret dignoscendi, ac curandi methodum. videbantur enim omnes, quotquot hanc materiam tractandam suscepissent, empyricorum potiùs fauere traditionibus, quàm rationali doctrinæ. Postulabat etiam nominis mei ratio, vt, quæ tumultuaria prælectione Lutetiæ à nobis tradita fuerãt, tornarentur, tornataque, atque vtcunque emendata prælo darentur, ne si

diutiùs premantur, fortaſſe aliquis præuertat, & quod aliquando tentatum eſt, tumultuarios illos, atque imperfectos labores in lucem emittat. Vtrunque tu, qui Regius litterarum vindex es, nec honoris mei impatiens, conſiderabis: & ſi opus hoc Reip. vſui fore videris, auctorem quoque vnà cum ipſo opere dignũ exiſtimabis, qui per ſtudioſorum ora volitare debeat: ſin minùs, imperabis ſilentium, & debilem materiam ad recoctionem, aut lituram remittes. Interim ne te inſcriptionis nouitas moueat, aduerte Pudendagram nobis dici contagioſum illum Morbum Hiſpanicum, Mentagræ Romanorum exemplo: quę quòd à mento, & oſculo progrederetur, talem meruit denominationem. Qua ratione Pudendagram quoque quòd à pudendis incipiat, appellare quid prohibebit? Harum, & meliorum aliarum rerum te arbitrum, ac iudicem ſtatuo. Vale Toloſæ Idibus Auguſti.

1553.

# AVGERIVS FERRERIVS DE PVDENDAGRA.

## LIBER PRIMVS.

### Pudendagræ descriptio.

PVDENDAGRA Lues Hispanica, nihil aliud est, quàm putredo humorum ex contagione in coitu magna ex parte contracta, participatione venenatarum exhalationum, & spirituum infectorum. Plerunque tamen contingit pueris ex vitioso lacte nutricis hoc morbo laborantis: interdum in vtero matris contrahitur. Quibusdã etiam accidit communicatione lecti, participatione cibi, & potus cũ ijs, qui contagiosis huius mali vlceribus, et pustulis adhuc scatent, aut infecto sudore madescunt. Quorum comessationibus se immiscere valde periculosum est, præsertim quando pustulis oris, & sordidis palati, fauciumq; vlceribus adhuc infestantur.

### Pudendagræ caussæ.

CAVSSA procathartica, seu externa esse solet coitus cum infecta, & coitu motæ venenatæ exhalationes: aut cum infectis cõuersatio. Interna est vitiosa, corruptaq; tota massa sanguinea indies magis ac magis putrescens, donec vasis quoq; & solidioribus partibus malum cõmuni-

municetur. Ex quibus meatus vrinarij primò quidem exulcerari solent, renes offendi, hepar incalescere, & putredine ferè accendi, accensus posteà humores adurere, contagiosum calorem ceteris partibus impertiri, fœdis humoribus totum corpus implere. Vnde vlcera male morigerata, pustulas, tumores, maculas liuidas, ac rubicundas oriri contingit. Cerebri etiam substantia, putredinis ac contagionis vitia concipiens, excrementosa fit, ideoq; impellente natura, & quod superfluum, atque inutile est segregante facilè dissoluitur: atq; in partes subiectas defluens tuberositates, nodos, articulorum dolores, aliaq; multa symptomata excitat: plerūq; etiam medullas inuadit, atq; inficit, Quibus rationibus moti medici quidam illustres, pudendagram ad pituitam referendam putarunt: pituitæ nomine ipsam cerebri substantiam, & quidquid à cerebro defluit comprehendentes. Veriùs tamen dixeris caussam esse corruptos omnes humores, sed symptomata pituitæ magna ex parte deberi, propter facilem eius defluxum. Pituitā autem hîc intelliges non naturale illud, & ad concoctionem reseruatum phlegma, sed salsam, acrem, putrefactam, serosam, ac excrementitiam omnem humiditatem ad pituitæ colorem, aut naturam accedentem, in cerebro potißimum collectam, in reliquo verò corpore partim destillationibus, partim concoctionis, vel aßimilationis vitijs coaceruatam. Cùm in vtero morbus con-

trahitur tanquam hereditarium sit malum, & tanquam corruptum elementum unà cum paterno, vel materno semine infunditur: aut, si mater à die conceptionis in morbum inciderit, communicatis fetui vitiosis, infectisq; humoribus, primæ conformationis facultates, actiones atque organa corrumpi necesse est.

## Pudendagræ signa.

SIGNA partim ex ijs, quæ sensibus obijciuntur, partim ex ægrotantis sermonibus colligenda sunt in hunc modum. Si enim cum artuum & capitis doloribus etiam obtusis, pustulæ in fronte, in capite, aut pudendis squamosæ siccæ, aut saniosæ, & putridæ apparuerint, certum habebis indicium morbi Hispanici, si nuper cum infecta coierit. Idq; magis, si post coitum purulentis meatuum vrinalium vlceribus, et ardore vrinæ primò affectus, posteà citra sufficientem puris purgationem sponte sanatus visus fuerit, aut si cancerosæ virgæ pustulæ, quæ primò inuaserunt, posteà citra perfectam curationem euanuerint, aut si abscessus qui primò in inguinibus apparuerunt, posteà non resoluti, non maturati, aut malè detersi, in partem interiorē secesserint. Sunt quibus pustulæ cutem non subeunt, sed in diuersis locis liuida quadam rubedine cutis maculatur. Quæ rubedo, si nūc disparuerit, paulo post ferè reuertitur, aut pustulas de se edit.

*Sunt etiam, quibus citra exteriores pustulas & maculas alopecia accidit, cum oris & faucium vlceratione ferè, nec sine artuum doloribus. Cetera symptomata sunt capitis, colli, & scapularum dolor, spinæ quædam perfrigeratio, tuberositates in capite brachijs & tibijs, alopecia capitis & barbæ, ceterarumq; partium depilatio, vnguium casus, pustulæ in toto corpore, & cutis defœdatio. In infantibus, & alijs qui ex coitu malum non contraxerunt, scire conuenit, nûm, dum in vtero gestarentur ægrotare cœperint, nûm à nutricis lacte malum ortum fuerit, aut ex conuersatione cum infectis. Notandum verò morbum Hispanicum plerunque foueri in interno corpore sex, septem, octo, vel nouē mēsibus antequam se manifestiùs prodat: nisi quod à contagioso illo coitu vsque in manifestationis diem, aut macula circa pudendas partes rubra, vel liuida, aut pustulæ vlcusve in pudendis, in fronte, vel in ore, aut nodi in capite vel in extremitatibus, aut paulatim procidentia capillorum perseuerantia sua internum morbum attestantur.*

## Pudendagræ curatio.

TRIA *sunt in hoc morbo præcipua, à quibus curatiuæ indicationes sumuntur. Primum est vitiosorum & corruptorum humorum copia. Alterum putredo. Tertium contagio. Copia putredinem*

tredinem alit & auget. Putredo adulteratæ caliditatis index est. Adulteratus calor cōcoctionem vitiat, humores adustioni obtemperantes adurit, ceteros aut dissoluit, aut resoluta subtili substantia condēsat ac incrassat. Sic enim adustione crassi, densi, ac tenaci quadam irrigatione lenti humores euadunt. Lentorem ac crassitiem consequitur obstructio. obstructione impeditur transpiratio, fouetur contagio, augetur quæ ex cōtagione ortum ducebat putrefactio: vnde infinita alia mala oriri videmus. Dissolutis aduentitio calore humoribus fiunt destillationes & defluxus: atque ex his pectoris affectus, stomachi subuersiones, colli & articulorum dolores, tuberositates, nodi, & similia. Contagione vitiatur sanguificatio, corrumpuntur humores, inficiuntur spiritus, deprauatur quæ in singulis partibus efficitur concoctio & assimilatio. vnde excrementosum totius corporis habitum reddi contingit: præcipuè verò cerebrum, alimentum quod ad se defertur concoquere, & propter infestæ qualitatis vitium perfectè assimilare recusans, excrementis oppletur: quibus in varias corporis partes distributis, infinita excitantur morborum & symptomatum genera. Constat ergo varium hunc malorum concursum ex vna contagione, adiūcta putredine proficisci. Quibus omnibus abigendis propellendisq; opus est remedijs, cōtraria quodammodo facultate præditis. Contagio enim ea, quæ infectioni resistūt,

postulat: putredo vẽtilationem, putrium & semiputrium concoctionem: adulteratus calor refrigerationem & emendationem: lentor ac crassities detersionem et attenuationem. obstructio reclusionem apertionémve: corruptorum humorum copia multiplicem ac variam euacuationẽ. Symptomata verò & succedẽtes affectus quomodo curari debeant, suo loco dicemus. Nunc methodicam morbi ipsius curationem proponamus, redigamusq; in octo capita curatiuas omnes illas indicationes.

I. ergo remedium sit Victus boni succi, facilis concoctionis, minimè excrementitius, attenuans, abstergens, siccans, &, vbi intensus erit calor, refrigerans.

II. sit facilis leuisq; purgatio, quam Minoratiuam vocant.

III. Venæ sectio, in quibus expedit.

IIII. corporis atque humorum, qui excerni debent, Præparatio, attenuando, tergendo, aperiendo, corpora fluida faciendo.

V. Plenior humorum Euacuatio.

VI. Particulares euacuationes: vt tandem resecatis prauis humoribus, & apertis vndique meatibus ventilationi et perspirationi locus sit, inhibeaturq; putrefactio.

VII. Symptomatum ac morborum tanquàm symptomata succedentium curatio.

VIII. loco potissimùm infectionis ac contagionis Seminaria Exstinguenda ac interimenda

da proponuntur. Quod tamen non solùm in fine curationis, verumetiam per totũ morbi decursum vtiliter efficitur.

## 1. De victu Pudendagricorum.

LICET Lues Hispanica totam massam sanguineam atque humores omnes occupet, victum tamen, vt & cetera remedia, ita instituere oportet, vt vincentis & magis peccantis humoris ratio habeatur: vincente siquidem & magis peccante bile ad refrigerationem procliuior esse debet: vincẽte pituita ad maiorẽ abstersionem et attenuationem. Præpollente verò melãcholia, ad attenuationem citra vehemẽtem siccitatem. In genere conducunt alimenta omnia boni succi, facilis concoctionis, minimè excrementitia: vt, gallinacei generis mares & feminæ, perdices, attagenæ, phasiani, pulli columbarum, merulæ, turdi, turtures, turricolæ, & montanæ auiculæ, cuniculi iuniores, iecinora & testes gallinaceorum, pedes & alæ volatilium, præsertim gallinacei generis, pedes veruecini, suilli, vitulini, atq; ex ipsis confectum gelu, oua gallinarũ & phasianarum recentia, tremula. sorbilia. Carnes vêruecinæ, hædinæ, & vitulinæ assæ, vt plurimum vsurpantur. Panis sit triticeus, non nihil furfuraceus, vt abstergat: sit autem probè confectus adhibita priùs maceratione et debita fermentatione, & in clibano vel fornace decoquatur, non in cineribus, aut foci tegula. Biscoctum

ob

ob ſiccitatem præferunt aliqui: nos ob coctionis difficultatem & ſucci craßitiem reijcimus. Conferet etiam panis elotus, atque ex ſorbitionibus ptiſana cum mulſa: concurrente verò multa pituita cum hyſſopo, pulegio, anetho, origano. Conuenient etiam panata, & lac amigdalarum dulcium, interdum etiam alica, & iuſcula omnia ex prædictis carnibus parata: præſtabit tamen aßis, quàm iuſculis aut elixis vti. Si quando oleribus opus ſit, conceduntur lactuca, portulaca, acetoſa: & ad moderatè abſtergendum, aperiendumq; gingidium ſeu cherefolium, endiuia, cichorium, ſcariola, lupulus, aſparagus, borago, buglоſſa: & cum euidenti attenuatione opus eſt, menta, feniculus, ſaluia, hyſſopus, meliſſa, maiorana, apium, petroſelinum, pulegium, ſerpyllum, thymbra, anethum: quibus contagionis emendãdæ gratia adijcies betonicam, pimpinellam, dictamnum, hypericum, tormentillam, verbenam, carduum benedictum, angelicam, vincetoxicum, calendulam, roſmarinum, balſamitam, ſcabioſam, thymum, origanum. Cauendo tamen ne horum vſu vitioſos humores accerſas. Admittes etiam vuas paſſas, carycas, pruna, & pyra cocta, cappares, amygdalas, pinearum & piſtacearum nucleos. In condimentis verò licebit vti aceto, omphacio, ſucco acetoſæ, ſucco granatorum, ſuccis citriorum & arantiorum, & aqua roſata, exſuperante caliditate, & inflammationem minitantibus puſtulis: interdum etiam mulſa, vino, ſucco

paſ-

passularum, melle, cinnamomo, croco, nuce moschata, macere, caryophyllis, aniso, feniculo, vbi humiditates & flatus præualuerint. Abstinendũ à lacte, caseo, ouis coctura dẽsatis aut frixis, & à carne bubula, suilla, agnina, leporina, anserina, ceterisq; omnibus craßũ, serosum, prauũq; succum gignentibus animantibus, fructibus, seminibus, plantis, & similibus. Vitanda etiam salsa omnia & acria, Adstringentia verò, nisi particularis quædam intẽtio postulauerit, rarò admittes. Piscibus saxatilibus, pelagicis, litoralibus, qui neq; in suaue, neque mali odoris, neque glutinosum quidquam gustu representant interdum vesci licebit, vt gobijs, asellis, murænis. Cõcedimus etiam trutas, salmones, alosas, rubelliones nostros, soleas, quas lingulacas esse putant, atq; alios neque prædura, neque præmolli carne præditos. Gustandos autem pisces, non autem edendos censeo. Potus esto vinum album, aut aliud tenue, quod vrinam ducat. Id autem sufficiẽti aqua diluendum est, pro morbi excessu, tempore anni, consuetudine, ægrotantis temperatura. Vini loco conducent, aqua hordei, decoctum pauci cinnamomi in pluscula aqua, hydrosacchari, oxosacchari, hydromeli, apomeli, oxymeli, aut secũdarium ligni Indici decoctum. Ordo autem in cibis ingerendis seruetur, humidaq; siccis præmittantur, & coctu faciliora coctu difficilioribus. Nec tenuißimo illo victu, quẽ in morbis longis damnauit Hippocrates, hîc vtendum:

*sed, ad conseruandum vsque ad statum naturæ robur, quod satis comedendum: sic tamen, vt Socratico more à mensa cum aliquantula fame recedas. In statu, atq; in curationis scopo tenuior victus adhibendus: atq; in totum præstabit tunc assis, quàm elixis vti. Aër vbiq; feré siccus deligendus, calidior quidem vincentibus frigidis humoribus: temperatior in ceteris. Talis autem si natura non sit, arte præparandus est, suffimentis, irrorationibus, ignibus, similibusq; artificijs. Cauendum ab Austro, quòd corpora dissoluat & humectet, capita aggrauet, & vertigines faciat: & à Coro, quòd pestilenti quadam natura destillationes moueat, quod in Mitylene oppido diligenter annotauit Vitruuius. Spirat autem ab occidente æstiuo. Exercitationes cibũ præcedant: sint autem moderatæ, nec penitus ad lassitudinem progrediantur. Deambulatio, equitatio, & in lectica gestatio plurimùm conferẽt. Ventris deiectionem moliri oportebit aut fructibus solutiuis, vt prunis & tamarindis in mulsa coctis: aut iure aliquo, cum quo polipodium, sena, buglossus, vrtica, & mercurialis bullierint: aut clystere: aut medicamento molliter perpurgante. Ira, metus, tristitia, ceteriq; affectus, qui animum & corpus agitant, vitandi.*

## 11. De facili Purgatione, quam Minoratiuam vocant.

Licet

LICET in tanta & tam pertinaci humorum corruptione valde necessaria sit purgatio: tamen, cùm natura contagione ac pernicitate mali grauata ac conturbata sit, non videtur tutum statim ab initio curationis efficaci medicamento eam irritare. Nam & ars ipsa docet ab imbecillioribus incipere, & paulatim valentioribus assuefacere naturam. Vtendum ergo primùm facili leuiq; purgatione, quales sunt, quæ cum caßia nigra, diapruno simplici, & catholico fiunt: quibus, ne forte parum aut nihil agant, addere solemus valentius aliquod medicamentũ simplex aut cõpositũ. Nos confectionẽ hamech ceteris iure præferimus, & miscemus in hũc modũ. ℞ catholici vnc.j. cõfectionis hamech drac. j. & ß. sacchari q.s. fiat bolus. Vel sic. ℞ caßiæ recẽter extractæ, drach.vj. pulpæ tamarindorũ drac.j. et ß. cõfectionis hamech drac.ij. sacchari quod satis, fiat bol⁹. Si bolũ recuset æger malitq; potionem, dissolues medicamenta in tribus aut quatuor vncijs hydromelitis, aut conuenientis alicuius decoctionis. & cùm pituita præualuerit, adijcies agarici trochiscati, aut elect. Indi, aut benedictæ portionem aliquam. si bilis, rhabarbarum, & elect. ex succo rosarum. si melancholia, diasenæ aut epithymi portiunculam.

## III. De Venæ sectione.

VENAE sectio conuenit plethoricis, & alijs quibus venæ turgescunt, necnon quibus ad in-

inflammationem prolabuntur pustulæ, tumores, & vlcera. Secanda autem interna cubiti vena, quam basilicam appellant, quando partes collo inferiores magis infestantur. Externa, quam cephalicam vocant, quando frontem, caput, palatum, fauces, & collum symptomata impetunt. Communis verò & media quando partes supernæ & infernæ ex æquo afficiuntur. Trahendum autem tantum sanguinis, quantum ægrotantis ætas, vires, & temperatura, morbi, symptomatumq; vehementia, & circunstantis aëris status requirere videbuntur. Si pridiè leni illa & minoratiua purgatione vsus non fueris, duces aluum molli clystere, in hunc modum. ℞. hydromelitis lib.j. ß. caßiæ fistulæ cum melle conditæ, vnc.ij. olei chamemelini quart.j. salis parum, mistis omnibus fiat clyster. Detur ante venæ sectionem, & relaxato ventre, redditoq; clystere mittatur sanguis.

## IIII. De Præparatione.

ANTEQVAM validiore medicamento humores eliciamus, fluidum, vt præcepit Hippocrates, corpus reddendum est, meatus reserando, crassa glutinosaq; incidendo, extenuando, atq; abstergẽdo. Quod partim victu, de quo diximus, partim syrupis & decoctis efficiendũ, in hunc modum. ℞. radicis polipodij & ramentorum ligni Indici ãn vnc. ij. rad. asparagi, tormen-

mentillæ, dictamni, filicis, asari añ vnc. j. corticis mediani sambuci, glycyrrhizæ rasæ & contusæ añ vnc. ß. herbarum capillarium, hepaticæ, fumariæ, lupuli, scabiosæ, melissæ, taraxacon, agrimoniæ añ manip. j. oxylapathi, personatæ, cichorij cum radicibus añ manip. ij passularum purgatarum à vinaceis, & tamarindorum añ vnc. j. seminis cartami cõtusi drach. vj. senæ, thymi, epythimi añ vnc. ß. quatuor seminum frigidorum maiorum contusorum añ drac. ij. hermodactylorum, et agarici añ drach. j. ß. cinnamomi drac. iij. decoquantur secundum artẽ in aqua iustæ quantitatis, donec media pars aquæ consumpta sit, & in lib. ij. colaturæ decoque leuiter succi buglossi, & boraginis vtriusque depurati vnc. ij. posteà adde syrupi de fumoterræ, & de epithymo añ vnc. j. mellis rosati, aut violati quar. j. fiat apozema pro quinq; dosibus. In calidiore corporis temperatura addes acetosam, scariolam, atriplicem, endiuiam, lactucam, parietariam, pruna, myxa, zizyphas, semina frigida, recentes rosas, violas, nymphææ & cichorij flores. Vincente pituita adijcies radices iridis, lilij conualliũ, galangæ, rhapontici, bryoniæ, aristolochiarum, cyclamini, & hyssopum, origanum, centaureas, stœchadem, betonicam, cum pæoniæ & nigellæ seminibus. Præualente atra bile, cortices ebuli, genistæ, fraxini, capparum, tamaricis, parthenium, pulegium, pimpinellam, ocymũ, cum seminibus fraxini, hederæ, hyperici, viticis, anethi,

cassuthæ, althææ, genistæ: & floribus anthos, scabiosæ, lupuli, boraginis, buglossi, tamaricis, thymi, genistæ, sambuci. Biliosos etiam iuuabũt syrupus de endiuia, oxymeli simplex, syrupus de fumoterræ simplex, & syrupus acetosus. Pituitosos syrupus de stœchade, de calamenta, de bizantijs, de mẽta, de absinthio. In atra bile proderunt syrupi de scolopendria, de cichorio, de fumoterræ, de epithymo. Sed tabellas, quas superingerere solent medici, præstabit ex ijs, quæ contagioni resistunt, conficere: quorum non nulla iam recensuimus in victu: cetera capite vltimo huius libri plenius tractabimus.

## v. De Purgatione.

PRAEPARATO corpore, superest vt vitiosos & corruptos humores euacuemus, sanguinemq; à putridis salsis serosis & adustis superfluitatibus vindicemus. Eum ergo, in quo superat caliditas, purgabimus in decocto violarum, tamarindorum, & senæ dissoluentes rhabarbarum, catholicõ, & confectionem hamech: vel cum pilulis de fumoterræ, & de rhabarbaro. Præualente pituita, in decocto passularum, hermodactylorum, & seminis carthami dissolues agaricum, benedictam solutiuam, diaphœnicon, & confectionem hamech: aut pilulas de agarico, cochias, & de fumoterræ commiscebis, & deuorandas dabis. Eum verò, in quo vincit

atrabilis sic purgabis. ℞ polipodij unc.j.passularum purgatarum à vinaceis drach. vj. senæ unc.ß.seminis cassuthæ,anisi,cinnamomi añ dra. j.aquæ mulsæ quantũ satis,bulliant simul ad tertiæ partis consumtionem, & in colatura dissoluantur epithymi drach ij. lapidis lazuli exquisitè abluti drach.ß.diasenæ,& confectionis hamech añ drach.j.ß. syrupi de fumoterræ, & de epithymo añ drach.vj.fiat potio. Vel, ℞ massæ pilularum de quinque generibus myrobalanorum,de fumoterræ,et de lapide lazuli añ scrup. j.cum vino infusionis epithymi,aut ellebori,formentur pilulæ vij. Medici nostri temporis dant postridiè roborantes bolos, quos ex conseruis, quæ in officinis prostant,conficere solent:adiectis interdum speciebus diarodon, diatriasantali,elect.de gemmis,diambræ,& ceteris pro varia ægrotantium & morbi natura. Præstaret tamen ea, quæ contagioni resistunt, ad hoc opus eligere.

## VI. De Particularibus Euacuationibus.

PARTICVLARIVM euacuationum censentur menstruæ purgationes, hæmorrhoides, & quæ ex ore apophlegmatismis & gargarismis educuntur,aut errhinis & succorum attractione ex naribus.Adde solutionem alui,vrinæ, sudorisq; prouocationem,& insensilem transpirationem:quibus ferè omißis ceteris, incumbũt

medici. Medicamenta enim, quæ per os vel nares purgant, verentur, ne qua pollent acrimonia partes illas ad contrahendum vlcus promtißimas exulcerent. Menstruas purgationes & hæmorrhoides in postremos dies differūt, nisi citò medicamentis parêre posse videantur. Si quando tamen his incumbendum sit, aperies hæmorrhoides imposito ficus folio, vel amygdalis amaris tritis mistisq; cum felle bubulo: aut hirundinibus sedi admotis sanguinem elicies. Menstrua verò prouocabis potu sequenti. ℞ calamenti, pulegij, & seminis nigellæ añ drach. iij. contundātur, tritaq; & cribro tenui transmissa decoquātur abundè in melicrato, fiat potio pro tribus diebus: detur mâne in lecto, concesso insuper duarum aut plurium horarum somno. Apophlegmatismos & gargarismos, si opus sit, conficies in hunc modum. ℞ mastiches & passularum mundatarum añ drach. ij. contundantur & fiant trochisci commanducandi. Hi, vt non erodent, sic pauxillam pituitam elicient. Potentiores sunt qui sequuntur. ℞ pyrethri, staphidis agriæ, piperis añ scrup. j. mastiches scrup. ij. terantur, & cum melle formentur trochisci, quos in exitu lecti commanducare conueniet. ℞ foliorum lauri viridium, thymi, hyssopi, maioranæ añ manip. j. passularum purgatarum, & seminis nigellæ cōtusi añ vnc. ß. agarici drach. j. ß. aquæ fontanæ lib. ij. vini albi optimi lib. ß. fiat decoctio ad perfectionem, & in colatura dissolue staphidis a-

griæ, struthij, piperis añ scrup. ij. pyrethri, zingiberis añ drach. ß. oxymelitis scillitici vnc. ij. mistis omnibus fiat gargarismus, ad pituitam apophlegmatismi loco educendam. Per nares purgabis cerebrum cum succis betæ, braßicæ, anagallidis, maioramæ, cyclamini: aut cum melle in errhina pyramidalia rediges apophlegmatismos præcedentes, & in nares intromittes. Sed exulcerato naso, ab errhinis omnibus abstinendum: vtendum verò apophlegmatismis & gargarismis. Et contrà, exulceratis faucibus, & palato, apophlegmatismis, & gargarismis pituitam elicientibus abstinendum: vtendum verò errhinis & prædictis succis. Caue tamen ne dum pituitã elicis, vlcus excites. Medici vt diximus, posthabitis ceteris particularibus euacuationibus, toti ad ventris deiectionem, vrinæ sudorisq́; prouocationem, & eam, quæ per poros fit transpirationem, se conferunt. Alui deiectionem moliuntur partim victu de quo diximus, partim clysteribus, & medicamentis molliter purgantibus. Clyster hîc satisfacere poterit. ℞ althææ cum rad. manip. ij. maluæ, mercurialis, lupuli, buglossi, fumariæ, vrticæ añ ma. j. rad. polipodij vnc. j. corticis mediani sambuci, senæ, & seminis carthami contusi añ vnc. ß. seminis fenigræci drac. iij. fiat decoctio, & in lib. j. ß. colaturæ dissolue medullæ caßiæ fistulæ, & catholici añ vnc. j. olei communis quart. j. mellis rosati colati drach. x. salis drach. j. ß. fiat clyster. Medicamenta molli-

ter purgantia sint caßiafistula, diaprunon simplex, catholicon. Vrinas mouere negligũt, præterquam qui ligni Indici aliorumq; sudorificorum decoctis curationẽ perficiunt. Omnes prouocandis sudoribus occupatißimi sunt, arbitrãtes, quod verum est, eo modo vrinas auerti, & sanguinis serum, ex quo vrina conficitur, caterosq; humores, qui post antedictas purgationes in corpore remanserunt, facillime in sudorificos vapores resolui: eam etiam, quæ per poros fit, excretionem mirabiliter augeri & perfici. Interdum etiam pituitam per os & nares elici, quod ex accidenti contingit: nimirum incredibili argenti viui aut succedaneorum penetratione. Præmißis ergo primis quinq; remediorum generibus, sexto loco nihil aliud quàm sudores procurant, paucis exceptis, qui quod alij sudoribus efficere conantur, id ipsi certis purgationibus tutò, celeriter, & iucundè perficiunt: de qua re suo loco dicetur. Sed sudorum eliciendorum receptos hodie modos omnes explicemus, Primus modus constat vnguentis & linimentis. Secundus ceratis & emplastris. Tertius loturis. Quartus suffitibus, atque hi ferè omnes argentum viuum actu aut potentia recipiunt. Quintus sudorificis decoctis, præsertim decocto ligni Indici: cuius loco successerunt iuniperus, chyna, sparta parilla, apios, infinitaq; alia. Sextus liquoribus destillatis. Septimus postea subijcietur curandi modus, qui non sudoribus, sed pur-

gantia

gantibus medicamentis, & quod vulgò dici solet, sanguinem mundantibus perficitur. Octauus vltimo loco addetur, ex prædictis omnibus cõpositus.

## Primus modus cum Inunctionibus.

PONITVR æger in loco calido, & totus ibi inungitur, præter caput, pectus, & sub alis. Postea linteis calidis aut multa stuppa calida fasciatur, & in lecto sudare cogitur, iuxta pedes appositis calentibus lapidibus. Sunt qui ex hordeo calefactos sacculos inter coxas ponunt, & sub alis ac pedibus, quo vnguentum magis penetret, & sudor copiosior eliciatur. Inungi autem poterit octo diebus, si semel tantum in die inunxeris. Nam bis in die inungere graue nimiũ est: quanquam hodie vix quinq; dies conceduntur, & bis in die adhibetur inunctio. Tunc autẽ satis inunctum putamus, cùm post multam sputi eductionem os malè affici, & vlcerari incipit. Tempus inunctioni idoneum est, horis quinque aut quatuor ante prandium: & cùm post prandium adhibetur, horis quatuor post prandium, sic vt tribus horis post inunctionem non cœnet. Post cœnam inungere sanum non est. Interim si deficere videatur, offeres panem in vino puro aut diluto, aut cum intenditur calor in posca madefactum. Nec omittenda erit alui deiectio, de qua diximus. Hoc remedio dolores exstinguntur:

tur: pustulæ, tumores, & nodi discutiuntur: vlcera perpurgantur, exceptis quæ in ore post inunctionem relinquuntur, quæ finitis inunctionibus statim fouebis lacte, aut decocto hordei, adiectis diamoro & melle rosaceo. Cetera in secũdo libro tractabimus. Vnguentorum autem, & linimentorum compositiones ex præsenti morbi & symptomatum natura, ægrotantis ætate, viribus, temperatura, & aëris constitutione deduces. Abundantibus enim tuberositatibus & nodis, plus pinguedinum apponendum erit: abundantibus vlceribus & pustulis, plus puluerum. In calidiore ægrotantis aut aëris temperatura, immiscenda quæ temperent, vt butyri plus, & plus olei rosacei, minus verò exsiccantium. In infantibus vincant axungiæ & butyrum. In robustis tertia aut quarta vnguenti pars sit argentum viuum: in delicatioribus verò vix sexta aut septima: in infantibus vix octaua. In genere cõstet vnguentum mollientibus, discutientibus, rarefacientibus, detergentibus, siccantibus, & argento viuo: quibus haud inutiliter admiscentur medicamenta purgantia ad trahendas per poros ad cutem ex imo corpore superfluitates. In quo genere excellunt agaricus, hermodactylus, cyclamen, pyrethrum, aristolochia, scilla, citra noxam. Interdum etiam bdellio, ammoniaco, turbit, & gummi partim mollientibus, partim humores attrahentibus vti licebit. Sunt qui ratione contagionis theriacam & mithridatium adijciunt.

Chi-

Chirurgi vtuntur linimentis Ioannis de Vigo. Nos vnguenta in hunc modum parare solemus. ℞ axungiæ porcinæ recentis & mundatæ lib. j. butyri recentis sine sale lib. ß. vnguenti de althæa, & martiati, theriacæ veteris añ vnc. ij. hermodactylorum, turbit, aristolochiæ rotundæ, tartari rubri, zingiberis añ drach. ij. myrrhæ, aloes, styracis liquidæ, ladani añ vnc. ß. succi limonum & olei rosacei añ vnc. ij. olei chamæmelini, lumbricorum, & terebinthinæ, aquæ vitæ, & olei laurini añ vnc. j. lithargyri drach. xv. argenti viui cum saliua exstincti vnc. ix. ceræ quod satis: fiat vnguentum molle. Adhibui ego aliquando inunctiones sine argento viuo, in huius locum cortices radicis cucumeris agrestis, & ellebori vtriusque, euphorbium, et similia substituendo: ad penetrandum verò petroleum, aquam vitæ, oleum de terebinthina, oleum de lateribus, aliasq; calidorum medicamētorum destillationes, quas haberem in promtu. Nec intelligere potui, qua in re præstaret argentum viuum, cuius contactu sæuißima symptomata relinquuntur, vt plus interdum periculi immineat à remedio, quàm à morbo. In ceteris, nihil est quod euidentem noxam inferre poßit, cùm tamen medelam præstent longè faciliori negotio, quàm argentum viuum. Sed quàm difficile sit ab imbutis semel opinionibus artifices diuellere, cōquerimur omnes, non solùm in his, verumetiā in plurimis alijs, quæ neque experientia, neque

ratione nituntur. Neque verò negare possumus mirabilem esse illius efficaciam, qui non nullos viderimus hoc morbo laborantes, sola plantarũ pedum & volarum manuum inunctione, intacto reliquo corpore, copiosè desudasse, pituitam è cerebro deiecisse, et tandem sanos euasisse. Constabat autem inunctio multo argento viuo cum axungia porcina recente & oleo terebinthinæ subacto, adiectis etiam hermodactylis, sulfure, succo bryoniæ, euphorbio, & aqua vitæ. Non est argenti viui penetratio & vis, quam impugnamus, sed pestilẽs malignitas morbo plerunq; longè grauior, quam vnâ cum curationis beneficio imprimit & relinquit. Nam & neruos offendit, cerebrum mirum in modum debilitat, & quod peßimum est, corpus subingrediens ossa perforat, & medullas inuadit, atq; in ipsis tam acerbos dolores excitat, vt plerunq; mors præferatur. Quod admonitione dignum visum est, non ad penitus interdicendum eius vsum, sed ad reprimendam multorum temeritatem & lasciuiam, qui in omni ætate, in omni sexu, in omni temperatura, & aëris qualitate illo nec bene subacto nec correcto inconsideratißimè vtuntur. Sunt aliæ securiores & minus molestæ curandi formæ: quæ si aliquando propter morbi symptomatumq; vehementiam parum efficaces videantur, non repugnabo, quin tunc ad mercurium confugias. Nam certum est quosdam hoc vno remedio curári, ceteris ne quidem ad leuia

ſymptomata conferentibus. Quod tamen adeò frequens non eſt, vt ad vnam crepidam calceandos pedes omnes nos allicere debeat.

## Secundus modus cum Ceratis, & Emplaſtris.

HIC modus non diſtat à priori, niſi forma. Nam medicamenta hîc mollientia, tergentia, ſiccantia, rarefacientia, diſcutientia eſſe debent, adiecto argento viuo, aut cinnabari, aut ſublimato: quibus etiam vtiliter admiſcentur, quæ humores ad cutem attrahunt. Ex his fiunt emplaſtra partium, quibus admoueri debent forma. Quippe ſpina ſecundum longitudinem & latitudinem ſuam his veſtiri debet, necnon brachia & tibiæ: vnde poſtulat res ipſa, vt emplaſtra & cerata eaſdem longitudines & latitudines impleant. Hoc modo tectum corpus, externum aërem non admittat, propter erumpentes ſudores, & ſputum in ore, coaceruatum. Renouentur autem emplaſtra tertio quoque die, decem dies curationi concedendo. Ceſſandum tũc, cùm poſt multam ſputi eductionem gingiuæ putreſcere & vlcerari incipient. Emplaſtra autem in hunc modum componantur. ℞ emplaſtri diachylon magni, emplaſtri de ranis añ vnc. viij. triapharmaci vnc. quatuor, olei de lateribus, olei de ſpica, aquæ vitæ, theriacæ, maſtiches, thuris, ſtyracis liquidæ, añ vnc. j. myrrhæ, aloes, lada-

ladani, ammoniaci, ſagapeni, bdellij, galbani añ vnc. ß. rad. iridis, ariſtolochiarum, hermodacty-lorum, baccarum lauri, cyperi, añ drach. iij. ar-genti viui cum ſucco limonum exſtincti vnc. viij. cinnabaris vnc. ij. ſublimati vnc. ß. ceræ q. ſ. mi-ſce & confice emplaſtrum. Si mauis ceratum, adde terebinthinam, & ceræ pluſculum: ſi ſpa-radrapum (ſic enim officinæ vocant emplaſtrum aut ceratum tenue in tela) liquefac omnia ad ig-nem, &, cùm infrigidari ceperint, miſce argen-tum viuum, ſublimatum, & cinnabarim, & mo-ue longo tempore cum virga ferrea: poſteà in-tinctis, vt moris eſt, linteolis fac ſparadrapum. In calidioribus corporum temperaturis aut tem poribus, addes ſuccos portulacæ et ſemperuiui, ſuccum granatorum, vnguentum roſatum, & ſi-milia, exigua copia, ne ab emplaſtri aut cerati forma recedas. Vidi ego multos, qui tecto hu-iuſmodi emplaſtris corpore, toto curationis tē-pore interdiu per vrbem incedendo, motu ſu-dores procurarunt induti veſtibus pelliceis, ſu-perinducto arctiſsimo cingulo, atq; in hunc mo dum curati fuerunt. Errant itaq; qui ſudores hîc minimè expectandos cenſent: ſponte enim erum-punt domi ſe continentibus, & in aëre calido verſantibus. Et reuera niſi ſudor eruperit, non prodeſt remedium.

## Tertius modus cum Ablu-tionibus.

Fiun:

FIVNT etiam loturæ ex ſiccantibis, rarefacientibus, diſcutientibus, & mercurio ſublimato: quibus in loco calido ablui & perfricari ſolent omnes corporis partes, exceptis capite, pectore, ſtomacho, & ſub alis. Idq; diebus decem ſemel, bis, ter in die, pro ægrotãtis viribus, & ceteris circunſtantijs, quo tempore é cubiculo exire non permittitur. Putreſcunt hîc etiã gingiuæ & exulcerantur ſicut in præcedentibus, quod curationis finem indicat. Exemplum hoc eſto. ℞ aquarum iuæ arthriticæ, maioranæ, ſaluiæ, abſinthij, calamentæ, fumariæ añ lib. ß. aquarum feniculi, ſcabioſæ, betonicæ, roſmarini, inulæ añ vnc. iiij. vini albi optimi lib. j. mercurij ſublimati, vnc. iij. bulliant ſimul igne claro in vaſe vitreo, in modum aquæ hordei, & fiat inde lotura. In calidioribus temperaturis, vini & aquarum calidarum loco, vtendum omphacio, ſuccis limonum, & granatorum, aquis roſarum, portulacæ, fumariæ, plantaginis, cichorij, aſparagi: miſtis tamen plurimis diſcutientibus. Poſt ablutionem & perfrictionem ſudor in lecto procurandus, appoſitis iuxta pedes calentibus lapidibus. Neq; enim, quod moliuntur, agunt, qui ſudores non procurant.

## Quartus modus cum Cinnabari.

QVARTO loco de ſuffitu cinnabaris dicendum, acerbiſſimo certé remedio, quo

prudentes & docti plerique Medici ad totum corpus vti nunquam ausi sunt: ad certas autem partes, vt crura & brachia, cum vel sphaceli adsunt, vel feræ gummositates, vel dolores, vel vlcera male morigerata præstantißimum arbitrati sunt. Ceterùm eo abstinendum suadent: aut non nisi corporibus athleticis adhibendum: quãquam & delicatis profuisse scimus. fit autem in hunc modum. Aeger in cubiculo clauso in sellula aut matella nudus collocatur, sic vt tanquam sub conopeo seu papilione totus pannis optimè circuntectus sit, vt ne os quidem extet. Tunc accensis carbonibus vritur cinnabaris cum thure & ceteris correctiuis, quo suffitu incalescit æger mirum in modum ac sudat per horam integram ferè. Toties autem id tentandum donec, sicuti in vnctionibus gingiuæ putrescere, & os vlceribus affici, & animus deficere quodammodo cœperit. Inter sudores si deficere videatur, permittes vt caput tantillum è pannis explicet, modò id sæpè non faciat. Fit suffitus semel, bis, ter in die, pro anni ratione, ægrotantis viribus, & ceteris circunstantijs. Ad euitandum animi deliquium impones priùs epithema cordi ex pauco vino, aquis rosarum, melissæ, violarum, & puluere gemmarum, & margaritarum confectũ: & duos ouorum vitellos paulò antè suffitum offeres. Corrigunt autem cinnabarim thus, myrrha, aloe, styrax, benzoin, gummi iuniperi, ladanum, lauri baccæ & folia, lignum Indicum, li-

gnum

gnum aloes, xylobalſamum, angelica, dictamnus, tormentilla, gentiana, calamus aromaticus, cyperus, ſchœnanthon, caryophylli, macis, crocus, & ſimilia. Adduntur non nunquam ad cooperandum & valenter agendum auripigmentum, ſandaracha Græcorum, pyrites, & euphorbiũ. Ex his paſtillos, quos trochiſcos vocant, & pulueres ſic cõficimus. ℞ cinnabaris vnc. ij. thuris, ligni aloes, myrrhæ, ladani añ vnc. ß. baccarum lauri vnc. j. aloes drach. iij. cum ſtacte formentur trochiſci. Vel, ℞. cinnabaris vnc. ij. auripigmenti vnc. j. marchazitæ, ſic pyriten vocant, argenteæ drach. iij. gummi iuniperi, thuris, ladani añ vnc. ß. fiat puluis pro robuſtioribus. Delicatioribus verò ſic rectè conſules. ℞ cinnabaris vnc. ij. benzoi, gummi iuniperi, ligni aloes añ vnc. ß. calami aromatici, radicis gentianæ, cyperi, ſtyracis, calamentæ añ drach. ij. thuris, myrrhæ, aloes, dictamni añ drach. iij. cum theriaca formentur trochiſci. Si nimiam caliditatem vereris, addes ſemina acetoſæ, ſcariolæ, intubi, aut ſantalos, ebur, roſas, violas: vrantur drachmæ duæ, tres, quatuor pro morbi magnitudine, ægrotantis viribus, & temperatura, &c.

## Quintus modus cum Ligno Indico.

LIGNI Indici quæ hactenus ad nos peruenere genera ſic deſcribit Manardus. Primum quod Guaiacum vocat, dẽſius, grauius, craßius, inte-

interiore parte nigricantius, exteriore ſubpallida, & veluti lineis quibuſdam ad fuſcum inclinantibus, in æquè diſtantes per longum interſecta. Alterius ad albius magis vergit exterior pars, neque eſt tam manifeſtis lineis diſtincta: nigrum tamen & ipſum colorẽ intrinſecus oſtẽdit, ſed minore orbe quàm præcedens. Tertium quod Sanctum præcipuè vocatur, tam intrinſecus, quàm extrinſecus albicantem colorem præſe fert, exilibusq; valdè lineis eius diſtinguitur longitudo. Hæc ille epiſt.lib.XVII. vbi primum imbecillius agnoſcit, & ebenum Indicum eſſe putat: nec ab eo ſecundum niſi fortè natalibus differre. Tertium autem valentius eſſe oſtendit, quoniam acrius & odoratius. Præterea decoctum huius adſpectu turpius, et guſtu inſuauius, & ſtomacho minus gratum: vt ea de cauſſa cõſueuerit per dies circiter decem primo illo ceu faciliore vti, vt natura aſſuefacta, Sanctũ, quod potentius eſt, melius ferat. Si tu tamen officinas & mercatores adieris, tam confuſas inuenies apud eos haſce differentias, vt quid ſit Lignum Sanctum, quid Guaiacum monſtrantibus illis diſcernere nequeas. Primum enim genus plerique pro Ligno Sancto, & tertiũ pro Guaiaco oſtẽtãt. In quem errorem etiam incidiſſe cõſtat ſcriptores quamplurimos. Sunt enim qui quod ipſi lignum ſanctum vocant, fuſcum & flauum eligendum cenſent: quos colores primo & ſecundo generi attribuit Manardus. Sunt qui Guaiacum

cum albicantem describunt, & ceteris præferunt. Sed posthabita nomenclaturarũ ambiguitate, de rebus ipsis sic statuamus. Tria illa genera Pudendagræ conuenire. præstare acrius & odoratius. Minus acre & minus odoratum, minùs calfacere, nec adeò siccare. Præstantius illud calidis siccisq; temperaturis minùs conuenire, ceteris magis prodesse. Sed præparationis modus quis sit, nunc dicamus. Lima ex ligno, & cortice eius (neque enim vt olim abijciendus cortex) scobes fiunt: non incisione, neque contusione. Scobis libra vna 24. horis infunditur in octo decẽ vel duodecim libris aquæ, in olla sexdecim librarum capaci: fit posteà decoctio lento ac claro igne, nunc ad tertiæ, nunc ad mediæ partis consumtionem, collecta diligenter spuma, & ad vsus suos reseruata. Colatur hoc decoctum, & hoc est quod primum vocant, quo in procurandis mouendisq; sudoribus, & delendo morbo potißimùm vtimur. Longiore autem decoctione, & pauciori aqua magis siccans, calefaciens, attenuans redditur: sic vt copiosiore aqua, & breuiori decoctione biliosis siccisq; temperaturis magis conueniat. Secundarium decoctum sic fit. In relictas ex primo decocto scobes proijce sicut ante fecisti, octo decem vel duodecim libras aquæ, & coque ad quartæ partis consumtionem. Hoc percolato in prandio & cœna primis temporibus vtebantur vini loco, atq; eo adhuc in calidis temperaturis & temporibus

vtimur, nunc simplici, nunc cum sacchàro, aut cum melle communi, aut rosaceo confecto. Sunt tamen qui huius loco decoctum parant ex nouo & crudo Ligno, & non ex eo quod primæ decoctioni seruiuit. Sumunt autem Ligni in craßiusculas partes dissecti partem vnam, & aquæ vigecuplam, mundoq; vase, vehementioreq; sed claro igne coquũt, donec quarta pars aquæ tantùm consumta sit. Hodie & primum & secundum cum vino fit, & plurimùm confert, præterquàm in biliosis & calidis temperaturis, ætatibus, & temporibus: in quibus præstat aqua. Qui consuetudini condonant aliquid, propinant vtrunque decoctum ex aqua paratum, cum tertia, quarta, aut quinta parte vini, in quo diu super prunas steterint ramenta Ligni absque ebullitione. Sed primi, siue cum vino siue cum aqua fiat, spuma diligenter colligenda est. Hac enim illinenda sunt vlcera, callositates, pustulæ, & loca dolentia. Spumæ loco vtuntur aliqui ramentis Ligni, in vino antiquo & oleo veteri coctis. Præstat oleum ex Ligno ipso, vel ex baccis lauri, aut iuniperi per chymistarum descensorium extractum. Sed redeamus ad decocta. Aegro in loco calido, qui nec transpiret, constituto, datur mâne in lecto primarij illius decocti lib. ß. aut vnc. viij. à quo potu quiescit adhuc horas tres exspectans sudorem, nec ante horas quinq; exhibetur prandium. A prandio horis sex datur rursus eiusdem decocti lib. ß. aut paulò minùs, et

post

post horas quatuor permittitur cœna. Idq; triginta diebus faciēdum plerunque etiam quadraginta. Non nullis tamen satis sunt viginti dies, præsertim quando bis in die sumitur decoctum. Sunt enim qui hoc ferre non possunt, quibus vix satisfaciunt triginta. Est prætereà morbi magnitudo, symptomatum vehementia, & humida frigidaq; corporis aut tēporis constitutio, quæ sæpé cum omni diligentia plures dies requirunt. Interim si venter penitus retinetur, singulo aut tertio quoque die infundendus erit clyster ex mulsa, oleo, & caßia: aut ex eiusdem Ligni decocto, & caßia, cum melle rosato', & oleo aliquo conueniente. Prætereà singula quaq; septimana purgandi erunt humores, cōtinuo vsu medicamenti attenuantis, siccantis, tergentis; Ligni inquam, moti, qui propter lentorem ac ingenitam craßitiem in sudores conuerti non potuerunt. His autem educendis sufficient caßiafistula, catholicon, diaprunon simplex, manna, polypodium, sena, adiectis interdum rhabarbari aut agarici portiunculis. Valentioribus vtendum nō est, ne sudores auertas, aut naturam in varia distrahas, eamq; debilites. Sunt qui die purgationis sudores à prandio mouere recusant, nisi robustus sit æger. Qui semel tantùm in die decoctum bibunt, solent à prandio é cubiculo exire, & aperto aëri se committere, magno errore & periculo pleno. Tutius est non exire donec curatio completa fuerit. Quod ad victum atti-

net, primis temporibus tantùm cibi exhibebatur, quo vix seruaretur vita: panis inquam vnciæ tres, vel ad summum quatuor, & carnis pullinæ assæ vnciæ duæ, vuarum passarũ vncia vna, vino prorsus abstinebant: cuius loco vtebantur secundario Ligni decocto aut simplici, aut cum saccharo vel melle confecto. Nunc cibos bene conficientibus paulò maior conceditur carnium & panis quantitas: longè minor tamen quàm cũ salubriter degerent. vinum permittitur album, tenue, aquosum. Interdum etiam cum vino Lignum ipsum decoquitur. Interdum infunditur tantùm, non etiam decoquitur: sed in modum nectarei vini, quod Hippocraticum appellant, per pannum guttatim percolatur infusio, adiecta nõ nunquam suauitatis gratia cinnamomi portiuncula. Plerunque etiam aqua decoctionis Ligni propinatur in prandio, & cœna, cum tertia, quarta, aut quinta parte vini. Sed vini vsum in calidis temperaturis non probamus. Huius loco in cibatu vti licebit dilutiore aqua mulsa, adiecto si lubet exiguo cinnamomo: aut hydrosaccharo, vel oxymelite: aut syrupo acetoso cum aqua cocta: aut secundario Ligni decocto, vel simplici vel saccharato. Totum autem hoc remedij genus si cum ceteris cõferas, inuenies promtum, facile, minimè laboriosum, noxa carens, robustioribus & delicatioribus satisfaciens, contagionis seminaria absumens, efficacißimum etiã tam in recidiuis & in veteri, quam nouo morbo

Hispa-

Hiſpanico. Decoctum autem illud primum nunc cum ſolo Ligno, nunc, quidquid dicat Antonius Gallus, adiectis hermodactylis, agarico, cyclamino, ariſtolochia, rhapontico, polipodio, ſena, thymo, epithymo, & ſimilibus parabis: non tam purgationis gratia, quàm attractionis humoris, qui in ſudores conuerti debet. Neq; enim in ſudores reſolui poterunt humores, qui in remotis partibus & profundo corporis hærent, niſi medicamento auellantur atq; ad conuenientia loca trahantur. Auulſi autem attractiq; attenuantur vi ligni, aut toti aut tenuior eorum pars. Craſſior verò & ſudoribus inepta ſeptimo quoque die purgante medicamento, vt diximus, educenda relinquitur. Sed proportionis exacta hîc habenda eſt ratio, ne plus quàm ad trahendos, qui in ſudorem abeant, humores opus eſt purgantiũ medicamentorum admiſceatur, ne fortè natura maiore attracti humoris copia grauata, poſthabitis ſudoribus tota ſe ad ventris deiectionem conferat. Sæpè etiam addenda ſunt, quæ partes magis affectas reſpiciant, vt ad eas medicamenti vis promtiùs perducatur. Sic affecto capite ſtœchadem, & betonicam adijcimus: affecto ſtomacho, mentam, & galangam: patientibus articulis iuam arthriticam, hermodactylos, hypericũ, ſaluiam: & ſic in ceteris. Pueri & adoleſcentuli eadem fermè ratione curantur, niſi quod adeò efficacia remedia nõ requirũt. Tutò illis propinare poteris ſecundariũ decoctũ, aut alind quod

huius loco ex crudo ligno præparari diximus: aut aquam quæ ex primo decocto per cucurbitam vitream imposito capitello lento igne destillauerit Effluet autem aqua purißima, iuuantißima, & bibi non ingrata: sed quæ ætate florentibus & prouectioribus non satisfaciat. Dantur vnciæ tres, quatuor, quinq;, sex pro varia ætate, temperatura, natura morbi, & ceteris circunstantijs.

## Quæ successerunt Ligno Indico.

SVBSTITVTA sunt ligno Indico, quædam exotica auri prætium æquantia, quædam etiã familiaria ac domestica, exoticis quidem minùs celebria, sed vt facilitate, sic facultatibus præstantiora. Huius generis sunt ramenta iuniperi, fraxini, citri, cupreßi, tedæ, terebinthi, cedri, ebeni: & radices personatæ, tormentillæ, iridis, hippolapathi, rhapontici veri, inulæ, aristolochiarum centaurij vtriusq;, scordij, dictamni, asari, asphodeli, gentianæ, costi, galangæ, cannarum nostratium, cũ calamo aromatico, & schœnantho: adde sambuci & capparum cortices, cassiam ligneam, chamædryn, spicam nostram, absinthium, aiugã, pulegium, serpyllum, calamenthã, nepetam, hypericum, thymum, hyssopum, carduum benedictum, caryophyllatam, morsum diaboli, &c. Exotica insignibus titulis ac strenuis commendationibus nobilitata, sunt radix cynarum,

rum, Sarza parilia, quæ & Sparta. Quibus accessit apij radix: quæ quod carissimè vêneat exotica credita est, cùm tamen in multis Galliæ locis abundet. Singula quomodo præparari ac ministrari debeant, nunc dicamus, sumto à radice cynarum exordio.

## De Chyna.

RADIX Cynarum, quam Chynã & Achynnam vocant, Hispanorum nauigationibus ex India, aut locis nuper reperti orbis aduehitur sicca & arida, fungosa substántia, colore instar galãgæ aut acori vulgaris rubescente, corrupto deniq; insipidoq́; illi acoro haud dissimilis, si molem demas & duritiem. Seligitur vt ceteræ radices, pondere præstans, & quantum aridissima sua fert natura succulẽta, minusq́; teredine, carie ac putredine infecta. Inciditur per transuersum in assulas tenues, rotundas, quarum vncia vna post.24. horarum infusionem, décoquitur lento igne in libris duodecim aquæ, ad tertiæ partis consumtionem, in vase terreo librarum sexdecim capaci. Alij decoquunt vnciam vnam in ducentis aquæ vncijs donec fermè ad 65. aut 70. redeant, intecto semper vase ne fumus exeat. Inde ab igne detractum vas proximum igni constituitur, circumimpositis pannis, ne vel quid fumi exire possit, vel repentè refrigerari. Datur decocti adhuc calentis libra vna in aurora

bibenda, quibusdam etiam unc. 14. reliquum ser uatur loco vini potandum. fit decoctum diebus singulis eodem modo: asseruatum enim acescit. Duas vel tres horas sudorem in lecto exspectare oportet: deterso mox sudore surgere permittitur, modò aperto aëri non exponatur. quod post dies septem conceditur. Purgans decoctum reddit dimidia radicis apij drachma. Dantur curationi dies. 24. sic vt. 24. vncijs radicis tota curatio compleatur. A quo tempore prædictæ assulæ, quæ decoctionem sustinuerunt insolatæ ac desiccatæ conciduntur in minutiora frusta, decoquunturq; vnciæ duæ in libris duodecim aquæ ad tertiæ partis consumtionem, propinatur percolata hæc aqua octo decémve diebus sequentibus, negotia omnia liberé agente ægro. Extrinsecùs fouentur vlcera & partes affectæ linteis in primo decocto infusis. Prohibetur Venus, quæq; hanc solicitāt externa omnia: quòd remedium hoc Venerem mirū in modū stimulet. Abstinet æger à lacte, caseo, aceto, piscibus, cibisq; omnibus acribus, salsis, acutis, acidis, amaris: vtitur pane ac pulli carne elixata bis in die: à cibo autem melle, cydoniato, dulciarijsq; omnibus, quæ sub conseruarum nomine in officinis asseruantur. Post 14. diem pulli aßi cōceduntur: vino, nisi vires deijciantur, in totum abstinendum. Tenuis quantùm fieri poterit victus adhibendus. Purgandum & in medio curationis et in fine. Primis septem diebus mouebuntur dolo-

res

res in partibus magis affectis, intendenturq́; vsque ad quintumdecimum: à quo tempore deficientibus sensim doloribus perficietur curatio. Impinguat ea vtentes hæc radix, ac sudores plùs quàm credi poßit prouocat & exsiccat. Italis medicis præstantißima: Vesalio insipida, odoris expers, in tenuandis, siccandisq́; corporibus, & sudoribus prouocandis ligno Indico inferior. Incredibilis efficaciæ argumentũ proferunt, quòd primò, vel septies, vel etiam plùs quàm decies cocta vim prebet egregij medicamenti: et aquã, vt pulli ius, efficit, & perexigua eius portio in magna quantitate aquæ incocta (incoquitur enim illius vncia vna in ducẽtis ferè vncijs aquæ) vim suam efficaciter impartitur.

## De Sparta Parilla.

SPARTA Parilla quæ & Sarza Parilia, Luẽ Hispanicam plus iuuare creditur, quàm cyna, aut Lignum Sanctum. Indica radix est, tenuis, ac subcrocei coloris ad cinereum vergentis, glycyrrhizæ tenuißimæ non absimilis, rugosa cum sicca est, gustu subamaro, odore vix perceptibili. Inciditur in tenues assulas, quarum vncia vna in libris duabus aquæ decoquitur ad tertiæ aut mediæ partis consumtionem, redditq́; turbulentam aquam ad vini rubri colorem accedentem, cum odore quasi graui, & non leui amaritudine. Dantur vnciæ sex in singulos dies bene mâne:

ne: tantundem horis ante cœnam tribus: tum cum cibo quantùm volet. Contegitur pannis ab assumto potu æger, ac copiosé sudat. Adhibetur hoc cum tenui victu, qualem in Ligno Indico descripsimus, per quadraginta dies, decimo quoque die craßiores humores purgante medicamento sequestrando. vlcera ac loca dolentia fouentur linteis in dicta aqua madefactis. Quod autem post sudorem liberum ad solita exercitia & necessaria negotia exitum permittunt, non probo.

## De Apio.

Diosc. lib. 4. ca. 170 APII radix insipida satis, atq; inodora, vno aut altero curationis euentu tam celebris facta est, vt sepositis iam rebus Indicis absolutißimi remedij munia omnia complere posse existimetur: humores inquam attenuare & tergere validé, sudores efficaciter mouere, siccare, & Hispanicam hanc hydram nulla, si cum ceteris conferas, molestia ad perfectam curationem ducere. Quod facilé sibi persuaderunt, qui aut rerum nouitate admirabiles videri volunt, aut opulenta radicis mercatura diuites euadere cupiũt. Nos eam neque respuimus, neque, experimento edocti, tãti facimus, vt dignam existimemus quæ cum solo Ligno Indico facultatibus omnibus cõferri poßit. Id, præter experientiam, satis declarant, quæ gustu in vtroq; deprehenduntur, quali-
lita-

litates. Præparationis modus, ab ijs, quæ in præcedẽtibus capitibus tradita sunt, nõ variat. Scinditur enim radix in tenues assulas, quæ postquàm diem integrum in aqua maduerint decoquuntur, ac ministrantur eadem omnino forma, qua Spartaparilla. Nec proportionis aquæ ad assulas, aut modi decoquendi, aut vtendi diuersa est ratio. victus idem ferè qui in ligno Indico præscribitur. Cetera curationi per spartam correspondent.

## De Iunipero, nostratibusq́ue remedijs.

ELICIVNTVR ramenta ex Iunipero sicut ex ligno Indico. Infunditur libra vna in octo decem, vel duodecim libris aquæ, & posteà decoquitur ad tertiæ aut mediæ partis consumtionem, collecta diligenter spuma, & ad fouendas tuberositates, discutiendos dolores, persanandaq; vlcera reseruata. Propinatur primi decocti lib. ß. aut vnc. viij. in lecto mâne, & ante cœnam, sicut in ligno Indico diximus: seruaturq́; eadem victus ratio. Idem effecerunt aliqui cum ramentis fraxini, citri, cupreßi, familiariumq́; aliorum: nulla à præscripto ligni Indici mutata forma. Nec est quod te deterreat Dioscorides, qui ramenta iuniperi & fraxini lethalia esse tradidit. Tutò enim ea in decoctis sumi compertum est. Radices personatæ, gentianæ, asari, tormentillæ, cannarum nostratium, ceterasq́;, præparabis

bis ac miniſtrabis ſicut ſpartam, & apium. Chamædryn, ſpicam noſtram, aiugam, ſerpyllum, herbasq; alias ad inſtitutum noſtrum facientes, virides ſiccásve concides, & infundes in quantitate aquæ, quæ perficiendæ decoctioni conuenire videbitur. Cetera omnia ex præſcripto ligni Indici petes.

## Sextus modus cum Liquoribus Deſtillatis.

AQVAS Philoſophicas, ſic enim ſtillatitios liquores vocant, introduxerunt chymiſtæ, ſiccantia, tergentia, attenuantia, rarefacientia medicamenta per cucurbitam vitream impoſito capitello deſtillantes, non igne balnei mariæ, vt pote tepidiore, & ad eliciendos interiores ſuccos parum efficaci: ſed prunarum ardore, cinerũ & arenæ circumpoſitione vehementiore reddito. Quo artificio igneas planè medicamenti facultates elici neceſſe eſt, calidis temperaturis et ætate florentibus valde pernicioſas. Huiuſmodi eſt hoc. ℞. decoctionis Ligni Indici lib. iiij. vini albi puriſsimi lib. j. trochiſcorum de vipera vnc. j. ramentorum ligni ſancti & corticis eiuſdem añ vnc. ij. calami aromatici, radicis aſari, hermodactylorum, polipodij, agarici, cinnamomi añ drach. vj. trita madeant in vino & decoquito per diem integrum. poſteà deſtillentur, adaucto, vt decet, paulatim igne. Colliges ſeparatim

ratim tres liquores vt colore ſic viribus differentes. Primus enim aqueus eſt, vltimus igneus, medius extremorum particeps. Dentur permiſtorum æquè omnium vnc. iiij. ſingulis diebus quinque horis ante prandium, & exſpectetur ſudor in lecto: poſt prandium ſatis erunt vnc. iij. ſex horis à cibo, ſic vt ante quatuor horas non cœnet. Vlcera, puſtulas, tumores, & loca dolentia ſanabis inuncta ſecundo aut tertio liquore: hunc cum primo contemperando, vbi caliditatis exceſſus metum fecerit. Victus ſit boni ſucci, facilis concoctionis, minimè excrementitius, tenuis potiùs quàm plenus: minùs tamen quàm in ceteris tenuis. finis curationis in trigeſimo die conſtituitur: non neglectis decimo quoque die purgationibus. Empyrici iuxta doctrinam Raymũdi Lullij, quinta eſſentia ex vino aut alijs rebus extracta vtuntur, diſſoluentes in ea ramenta ligni Indici, radicem apij, calamum aromaticum, ſcobem iuniperi, ceteraq́; ſudorifica. Deſtillantur etiam decocta Ligni Indici & ſimilia, et laborantibus infantibus & adoleſcentulis propinatur aqua loco primarij decocti: prouectioribus etiam loco ſecundarij vtiliter concedi poteſt. Sunt qui affirment cinnamomum cum decocto Ligni Indici deſtillatum, in ducendis vrinis & mouendis ſudoribus nulli remedio cedere.

## Septimus curandi modus cum Purgationibus.

QVOD alij ſudoribus moliuntur, id purga-tionibus præſtare conantur, qui plus humorum vna purgatione excerni vident, quàm multis deſudationibus. Purgationes autem hîc intelligimus eas, quæ medicamentis per aluum fiunt euacuationes. Cuiuſmodi infinitas propemodum formas apud eos, qui hanc materiam tractandam ſuſceperunt, comperies. Sunt enim qui ſyrupos & decocta præparant, ſunt qui diuerſi generis bolos, potiones, catapotia concinnãt, ſunt qui varias cum vino & aquis miſturas conficiunt. Quibus partim ratione, partim experientia per nos comprobatis, inuenimus tandem multa in illis aut ſuperabundare, aut penitus deſiderari. Quæ cauſſa fuit vt nos aliquid noſtro marte efficere tentauerimus, quod amicis commodo & vſui eſſe poſſet. Inter cetera autẽ ſuauißimum, ac præſtantißimum apozema hoc illis præſcripſimus. ℞ rad. polipodij & corticis Ligni Indici añ vnc. j. paſſularum purgatarum & tamar Indorum añ drach. x. prunorũ Damaſcenorũ paria. vij. corticis mediani ſambuci, radicis aſari, glycyrrhizæ añ vnc. ß. ſeminis cartami contuſi, ſenæ, thymi, epithymi añ drach. vj. hermodactylorum drach. iij. zingiberis drach. j. ß. florum ſtœchadis & geniſtæ añ p. j. fiat decoctio in aqua iuſtæ quantitatis ad tertiæ partis conſumtionem. Poſteà adde ſucci fumariæ, ſucci roſarum recentium, & ſucci radicis iridis omnium depuratorũ añ vnc. iij. cinnamomi vnc.

ß. ca-

ß. caryophyllorum drach. j. ß. bulliant adhuc leuiter hæc omnia simul, & tandem addito saccharo fiat apozema pro tribus aut quatuor diebus. Deficientibus rosarum & fumariæ succis, substituo succos buglossi & boraginis: interdum etiam syrupos de fumoterræ, de epithymo, de cichorio cum rhabarbaro, rosatum solutiuum, et similes. Vincente bile addo rhabarbarum, et myrobalanos citrinos. Excedente pituita, & in articulorum doloribus, agaricum, pyrethrum turbith, & aristolochias. Apparentibus crassæ atq; atræ bilis signis, decoquo leuiter ellebori nigri drachmas duas. Vtor etiam aliquando succis radicis ebuli, bryoniæ, cyclamini, centaurij, sambuci, asphodeli, lupuli. Sunt qui myrobalanos omnes adijciunt: quorum tamen adstrictionem vi purgatrici iunctam non probo, nisi exigua quantitate ceteris commisceantur. Alij zizipha, myxa, carycas, eupatorium Mesuæ, agrimoniam officinarum, capillares herbas, scabiosam, hordeum, ceteraq; apparantia magis quàm expurgantia confundunt. quibus, nisi quid ea certa caussa postulet, abstinere soleo: ne fortè, quod in varia mistura accidere solet, remittant vires aliorum medicamentorum. Nam reuera quidquid miscueris, quod aut humores non purget, vel medicamenta non ducat aut corrigat, superfluum id omne atque inutile censendum est. Neque enim hîc quid aliud procuramus, quàm sanguinem à putridis, salsis, serosis, & adustis hu-

humoribus vindicare, & superfluitates è toto corpore expellere. Sed redeamus ad rem. Damus apozema singula hebdomada tribus aut quatuor diebus continuis in aurora: sic vt quatuor aut quinque hebdomadis tota curatio compleatur. Ceteris diebus, quibus id non bibitur, vtitur æger remedijs ad octauam intentionem facientibus, nimirùm infectionis ac contagionis seminaria consumentibus. De quibus dicemus suo loco. Prætereà nihil agitur: seruatur tantùm victus ratio in principio libri tradita. Post prandium exire, & per vrbem incedere permittitur: modò tranquillus & serenus sit aër. Diebus quibus sola remedia octauæ intentionis vsurpantur exire licebit etiam matutino tempore. Quo pacto nō solùm blanda ac facilis, verumetiam secura & secreta promittitur curatio. Hoc remedio neque gingiuæ putrescunt, neq; os exulceratur. Lyenteriæ tamen aut dysenteriæ initium quoddam aliquando superuenit, quando immodicè purgatur æger. Quibus malis sic occurrimus. Apparentibus intestinorum ramētis, damus tribus diebus continuis lactis chalybati, aut exstinctione ignitorum lapillorum cocti cyathum vnum quatuor horis ante cibum: & octo diebus interdicimus ei purgante omni medicamento: ventrem etiam extrinsecus fouemus oleo ex glandibus expresso, aut cotoneorum vel myrtino. Aliquando inijcimus clysterem adstringentem ex libra vna aquæ chalybatæ, & semilibra olei cotoneorum

vel

vel myrtini: vel solo lacte chalybato. Quæ remedia in lyenteria etiam præstantißima esse cōstat. Quibus autem lac minùs conuenire videtur, ceterorum adstringentium & glutinantium vsum adhibeo. his nullo negotio curantur, qui ex immodicis purgationibus in dictas affectiones incidunt: sic, vt transactis octo diebus, eodem apozemate tutò vti poßint. Hoc remedio consumuntur dolores, vlcera persanantur, resoluuntur citra inunctionem pustulæ, gummositates, nodi: sic vt neque topycis remedijs, neque chirurgiæ locus vllus relinquatur. Noui ego, qui idem effecerunt decocto bugloßi triginta diebus vtentes, & septimo quoq; die superfluitates expurgantes cum caßia nunc sola, nunc adiecta confectione hamech. Alij absinthij & mercurialis decocto vsi sunt. Alij bis aut ter in hebdomada purgationibus vtentes tricesimo die sanitati restituti sunt. Illas autem nunc cum caßia, manna, diapruno, catholico, sena, epithymo adhibebant: nunc cum catapotijs ex aloë & speciebus aromaticis: aut ex aloë, rhabarbaro, agarico, lapide lazuli, elaterio, cum vino infusionis vel decoctionis epithymi aut ellebori nigri globulos conformantes. Nos hoc electario aliquando vsi sumus. ℞ carycarum pinguium decorticatarum, seminis cartami mundati, hermodactylorum, zingiberis, agarici, seminum nigellæ et cassuthæ añ drach. ij. senæ et epithymi añ drach. iij. bdellij, rhabarbari, turbith electi,

lapidis lazuli abluti & præparati, myrobalano-
rum citrinarum & Indarum añ drach. j. tartari
rubri drach. j. ß. diacrydij, mastiches, seminis a-
nisi, cinnamomi añ drach. ß. syrupi rosati soluti-
ui, aut mellis rosati q. s. misce & confice electua-
rium liquidum. Sunt qui pilulas mercuriales ex-
tollunt, dantq; vnam ciceris magnitudine semel
aut bis in hebdomada. Sed crudeliter purgant,
&, nisi caueris, interimunt. Eas autem sic præ-
parant. Maceratur puluis mercurialis quem
præcipitatum vocant, in aquis cichorij, bu-
glossi, scabiosæ. post. 24. horas posito super pru-
nas vase in vaporem resoluuntur aquæ, & sic-
cus relinquitur puluis. Miscetur hic cum specie-
bus aromatici rosati, et diamargariit frigidi, &
cum theriaca aut mithridatio formantur pilulæ
magnitudine cicerum. Sunt qui verētur puluerē
& purum hydrargyrum cum sale aceto & sal-
uia exstinctum, tanquàm minùs noxium, præfe-
runt. Atque hi corrigendæ malignitatis gratia
saluiam ipsam, atque aromatica adijciunt: & ne
venenum hoc seuerius in corpus agat, venenum
aliud adiungunt, nempe diacrydion: vt cum eo
pugnet, pugnandoq; commoriantur aut saltem
mitescant venenosæ facultates. exemplo aconi-
ti, cuius ea esse natura creditur, vt hominem oc-
cidat, nisi inuenerit quod in homine perimat: cū
eo solo colluctatur, velut pari intus inuento: so-
la hæc pugna est, cùm venenum in visceribus re-
pererit. mirumq;, inquit Plinius, exitialia per se
ambo

ambo cùm fuerint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo superſit & cùm fata volunt bina venena iuuant, inquit Auſonius in epigrammate vxoris, quæ virum agento viuo & aconito interimere volens, pugnantibus inter ſe venenis, & per ſeceſſum labentibus ſeruauit. Quo exemplo moueri poſſumus, vt credamus argenti viui lethiferam vim commori, aut ſaltem mitigari, cùm venenum aliud, cum quo pugnet, in viſceribus repererit: vt optima ratione facere videantur qui diacrydion, aut aliud quod pari natura cum illo certet, permiſcent & adiungũt. Hoc remedium in veteri Pudendagra, in feris gummoſitatibus, & ſordidis vlceribus, & elephantico ferè habitu non nullis mirabiliter profuiſſe ſcio. Et ne quis nouum eſſe putet argentum viuũ ingerere, audiat Paulum Aeginetam lib. VII. referentem colicis & ileoſis propinari combuſtũ, & in cinerem redactum. Quod ex recentioribus & barbaris ſcriptoribus plurimos feciſſe conſtat. Ruſtici cataputiæ, cartami, & nigellæ grana in doliolum vini conijciunt, & huius vini potu aluum ſubducunt. Quidam mitiùs agunt, folia cataputiæ decoquentes, & decocto viginti aut triginta diebus vtentes. Quo remedio nõ ruſticos ſolùm, ſed delicatas etiam inualidasq́; mulierculas perſanatas fuiſſe ſcio, nullo alio neq; interno neq; locali adhibito præſidio. Laudatur etiam in his caſibus vinum elleborite in hunc modum confectum. Menſe Martio putatis vitibus

fiant scrobes satis profundæ iuxta vitium radices: impleantur elleboro viridi multo, contuso, admista terra: ex eo vitis alimētum sumens, producet vuas vim purgatricem habentes. Nec vinum vllo modo verendū: purgabit enim sine molestia, & proderit. Licebit etiam polipodium, senam, epithymum, asarum, hermodactylum, cartamum, agaricum, cum aromaticis per vindemiā in cadum musto plenum inijcere, vt vnà cum musto decoctionem patiantur: sed decimo quoque die permutanda erunt, donec mustum bullire cessauerit. Sunt qui Lignum Indicum, polipodium, senam, hermodactylum in vino infundunt, dispertitáq; in tres portiones quantitate, partes duas crudas doliolo recondunt, tertium decoquunt, feruentemq́; in doliolum conijciunt, obturatoq́; osculo totam substantiam feruere sinunt. Chymistæ in aquam vitæ crebris destillationibus depuratam medicamenta purgantia infundunt, & expresso succo, additoq́; saccharo humores eliciunt. Destillant etiam purgantes aquas plurimas, quas ob igneam caliditatem non probo.

## Octauus modus ex prædictis omnibus Compositus.

PRIMIS tribus diebus adhibentur inunctiones: octo sequentibus decocta sudorifica: repetuntur posteà inunctiones, cuius loco plerūq; ministratur suffitus ex cinnabari. Tribus inde aut quatuor diebus propinantur apozemata solutiua.

lutiua. quibus totidem diebus aut paulò pluribus sudores potionibus eliciuntur. Repetuntur deinceps apozematá, succedunt decocta sudorifica, vt curationem perficiant. Quibus si morbus nondum perfectè sanatus fuerit, repetes inunctiones, subijcies apozemata, ac decocta sudorifica prædicto ordine. Inunctionum loco Emplastra, Cerata, Loturas, Suffitus ex cinnabari substituere licebit. Victus adhibetur moderatè tenuis, attenuans, abstergens, siccans, vt supradictum est. In hunc modum tractare conuenit eos, quos neque sola inunctio, neque sudorem prolicientes aquæ, neque suffitus simplex persanare potuit.

## Quę remedia, quibus personis, ætatibus, & temperaturis, magis minúsve conueniant.

QVICVNQVE diu ab officio abesse nõ possunt, vt serui, ministri, famuli: quiq; locum sæpè mutare coguntur: qui citò, quæ tractant, negotia expedire volunt, longas medicationes non ferunt. Hos itaq; posthabitis decoctis sudorificis, & longis purgationibus, Vnguentis, Ceratis, Emplastris, Loturis, Cinnabaris suffitu intra paucos dies curare conueniet. Quos verò aut superiorum, aut amicorum & vulgi fama tangit, non tam celeriter quàm secretè curabis: idq; septimi modi purgationibus: aut ceratis, &

emplastris: quorum tamen nidore mouetur morbi suspitio. Qui mollibus & delicatis corporibus præditi sunt, decoctis sudorificis aut apozemate nostro solutiuo curari debent, fortes destillationes non admittunt. Inunctiones, emplastra, loturas, non facilè tolerant: suffitum ex cinnabari multò minùs. Pueri suffitum sine noxa nõ ferunt: cetera blandiùs admota non auersantur. His ergo vnguenta paranda sunt ex multo butyro recẽti, pluribus axungijs quàm in alijs, paucioribus siccantibus, & pauco aut nullo si fieri potest, argento viuo. Primo decocto apozematis nostri facilè & sine molestia purgantur. Primum voco, quod succos non recipit. Decocta sudorifica facilè tolerant, præsertim destillata per cucurbitam vitream imposito capitello. Aqua enim indè resultat & salutaris & bibi non ingrata. quod in pueris in primis desideratur. Ea etiam destillatione lactentes infantulos sanabimus. Hos verò non purgabimus, nisi mollibus clysteribus: nisi fortasse nutrix purgans medicamentum deuorare non recuset. Sic enim medicamentoso illo lacte vtens infantulus facilè & sine molestia purgabitur. Caue ne fortes destillationes illis exhibeas. Interim victũ nutrici institues talem, qualem in principio descripsimus. Præterea purganda erit & ipsa, atque ijs, quæ contagioni resistunt præseruanda. Senibus eadẽ ferè, quæ pueris, conferenda sunt remedia: aut si validiores sint, eadem quæ mollibus & delica-
tis

tis corporibus. Plethoricis, & optimis temperaturis, quas sanguineas vocant, conueniunt potiones sudorificæ, & apozema nostrum solutiuum. Suffitus, inunctiones, emplastra, ceteraq́; ipsi quidem ferunt: non tamen citra noxã. Nam præter id quod argento viuo insigniter læduntur, ex inunctionis caliditate hepar inflammari, & sanguinem aduri contingit. Contemperanda ergo erunt illa cum butyro, oleo rosaceo, ceterisq́; refrigerantibus. Igneas destillationes his ne dederis. Biliosis, calidis inquam, siccisq́; temperaturis Ligni Indici primum decoctum propter caliditatem & siccitatem non confert, nisi cum pluscula aqua fiat, & longiorem decoctionem non sustineat. Sunt qui secundario decocto vti malint, vtpote minùs calefaciente, nec adeò siccante. His validæ destillationes non prosunt. Inunctiones verò, loturæ, emplastra permolesta sunt, nec periculo vacant, cùm ob virium resolutionem, tum ob venosi generis, atque hepatis ipsius ab intensa remediorum caliditate adustionẽ, et nimiã argẽti viui penetrationem in raro corpore, & incredibile eius nocumentum. Suffitus his valdè perniciosus est. optimum apozema nostrum solutiuum. Pituitosis conueniũt, & septimi modi purgationes, & lignum Indicum, quando materia valde crassa non est. Nam quando et lenta & crassa nimis est, à sudorificis decoctis abstinendum. Neque enim adeò crassa tenaxq́; materia apta est in vapores resolui, & in sudores

res transcolari. Quin si sudorifica illa adhibueris, exhausta per sudores subtiliori humorũ substantia, reliqua posteà residebit multò craßior ac tenacior, medicamẽtis difficilius cædẽs quàm anteà: resoluta nimirum ea substantia, per quam fluere & ferri solebat. Propterea præstat hos inunctionibus aut emplastris curare. Suffitibus minus, quàm ceteri, molestãtur: destillatis aquis iuuantur. Melancholicis Lignum Indicum ceteraq́; sudores mouentia non conferunt, tum ratione siccitatis, qua melancholici læduntur, tum quod is humor non facilè, nec sine periculo in continuos illos sudores vertatur. Periculũ enim est ne resoluta subtiliori eius substantia, reliquũ humorem nimis tenacem crassumq́; reddi contingat, & partibus tam pertinaciter adhærere, vt posteà medicamentis exstirpari educiue nullo modo poßit. Idq́; magis in melancholico humore, quàm in pituitoso, propter naturalem illius tenacitatem ac craßitiem medicamentis ac concoctioni repugnantem. Satiùs ergo est melãcholicos sanare septimi modi purgationibus, crassum illum humorem sæpè concoquẽdo, attenuãdo, incidendo, citra euidentem siccitatem, qua melancholicos offendi diximus. Hos inunctionibus, ceratis, suffitibus curare non verearis. Suffitus ex cinnabari raro adhibetur, præterquàm vbi cetera remedia non conferunt, aut ea recusat æger. In recidiuis certis partibus sine periculo adhiberi potest, in feris gummositatibus, no-

dis,

*dis, vlceribus, & infestißimis doloribus. Medicamenta molliter purgantia conferunt mollibus delicatisq; corporibus, pueris, senibus, & biliosis temperaturis. Plethoricis & pituitosis valentiora. Melancholicis primò quidem blandiora, posteà verò efficacißima. In valdè pustulosis, vlcerosis, & elephantico ferè habitu vtimur pilulis ex turbith, elaterio, aloë cum theriaca formatis. Item pilulis arthriticis, fœtidis, Indis, ex hermodactylis, ex euphorbio, ex lapide Armeno, ex lapide lazuli, ex puluere mercuriali, aut ipso argento viuo, vt diximus. Elleborus verò cùm rectè præparatur ac corrigitur ceteris omnibus iure præferri potest. Alioqui morbus cùm exacerbatus non est, fortia medicamẽta non requirit: immo sæpè exasperatur illis, tollitur verò mollibus facilibusq; purgationibus.*

## VII. De Symptomatum curatione.

EXPOSITIS *sex remediorũ generibus, restat de symptomatum & morborum tanquã symptomata succedentiũ curatione dicere. Sunt autem ea pustulæ, gummositates, tuberositates, nodi, vlcera, dolores, ardor vrinæ, capillorum et vnguium procidentia, dentium mobilitas, cutis defœdatio, & similia, quæ magna ex parte octo illis modis ad sextam intentionem pertinentibus eliduntur, paucis exceptis, de quibus in secundo libro latiùs dicetur. Si quod ergo symptoma, si*

*quis morbus prædictis modis aboleri nõ potuit, ad particulares eorum curationes, quæ in secundo libro tractabuntur, recurrendum erit.* Tran-*seamus ad octauam & vltimam intentionem.*

## VIII. De remedijs Contagionis.

OCTAVO *loco proposuimus infectionis ac contagionis seminaria exstinguere ac interimere. quod tamen nõ solum in fine curationis, verumetiam per totum morbi decursum tentandum admonuimus: sed in fine potißimùm toto conatu ac studio huic vni remedio insistendũ.* Post-*quàm ergo huius quoque rationem habuerimus in victu, in præparatione, in sudorificis, ceterisq; remedijs, vltimo loco misturas sequẽtes ad consummandam curationem, prohibendasq; recidiuas vtendas dabimus.* ℞ *radicis tormentillæ & angelicæ, seminis fraxini añ drach.ij. corticis citri, cinnamomi, seminis cardui benedicti añ drach.j.ß. ramentorum tenuißimorum* Ligni Indici *vnc.ß. theriacæ & mithridatij añ drach. iij. syrupi de corticibus citri q.s. misce & confice elect. liquidũ.* ℞ *rad. vincetoxici, rosarũ rubearum, cinnamomi añ scrup. ij. seminis pæoniæ, behẽ albi & rubei añ scrup. vnum, dictamni, & xylobalsami añ drach.ß. sacchari in aqua scabiosæ resoluti q.s. misce & cõfice elect. in tabulis.* Excedente *caliditate addes semina acetosæ, intubi, cucumeris, melonum, citruli, santalos,*

*ebur,*

ebur, gemmas. In pituitoso humore audenter calidis vtendum: in melancholico, cortices capparum, tamaricis fraxini, & conseruæ buglossi, boraginis, inulæ vtiliter adijcientur. Hisce compositionibus octo diebus continuis vtetur qui inunctiones, cerata, loturas, suffitus, destillationes, aut decocta sudorifica adhibuit. In aurora quidem sumet misturæ liquidæ portiunculã magnitudine auellanæ: à prandio verò duabus aut tribus horis ante cœnam tabellam vnam. Qui septimi modi purgationibus vtuntur, diebus quibus non purgantur hisce antidotis prædictis horis vti poterunt. Sunt qui eadem intentione dant theriacæ, aut mithridatij drachmas duas, cum aquis intubi & cichorij biliosis: cum aquis betonicæ, melissæ, scabiosæ, boraginis, buglossi, ocymi, mentæ, balsamitæ, pituitosis & melancholicis. Nos vino aut aqua decoctionis ligni Indici in prandio, & cœna semel vtẽdum præcipimus. Ergo huius generis remedia calida esse oportet, vt illis tanquam igne purgetur ac consumatur quidquid humores inficit ac corrumpit. Frigida tamen aliqua misceri possunt, partim ad reprimendum caliditatis excessum, partim ad roborandas principes particulas: videlicet rosæ, violæ, flores cichorij, myrti, nymphææ, semina acetosæ, citri, intubi, margaritæ, coralli, santali, ebur, gemmæ, bolus Armenus, terra sigillata, moderata portione tamen, ne aliorum vim obtundant, ac nimis reprimant. Calida ergo illa, quæ

con-

contagioni resistunt hæc sunt, lignum Indicum, radix cynarum, calamus aromaticus, apios, gentiana, dictãnus, angelica, melissa, calendula, pimpinella, carduus benedictus, iris, acorus, rhaponticum, vincetoxicum, hypericum, betonica, cyperus, scordeon, thlaspi, caryophyllata, scabiosa, scænanthos, galanga, zeduaria, behen, caryophylli, macis, zingiber, cinnamomum, xylobalsamum, carpobalsamum, lignum aloes, semina pæoniæ, ocymi, iuniperi, ameos, croc⁹, myrrha, thus, theriaca, mithridatium, trifera. Media quodammodo temperatura sunt verbena recta & supina, verbascum, tormentilla, tamarix, asparagus, oxylapathum, filix vtraque, gingidium seu cherefolium, cortex radicis mori & folia eiusdem, hedera, cortex citri, iecur lupinum, cancrorum fluuialium cinis.

Finis Primi Libri.

# AVGERII FERRERII PVDENDAGRAE LIBER SECVNDVS, SIVE DE MORBIS ET SYMPTOMATIS luem Hiſpanicam aut comitantibus, aut conſequentibus, vel præcedentibus.

## De veteri morbo, & recidiuis.

DE recenti morbo Hiſpanico, & multiplici ac varia eiuſdem curatione in primo libro ſatis dictũ eſt. Tranſeamus nunc ad inueteratum & recidiuas. Horum curatio ex prædictis nullo negotio haberi poterit. Primò enim inſtituendus victus. Secundò facili purgatione minuenda materia. Tertiò ſecanda vena, in quibus expedit. Quartò præparandi humores. Quintò euacuandi. Sextò particularibus euacuationibus inſiſtẽdum. Septimò ſymptomatis occurrendum. Octauò contagionis ſeminaria penitus conſumenda. De quibus omnibus præter quàm de ſeptima intentione copioſè diximus. Verùm cùm ſextæ, particularium inquam euacuationum varias formas tradiderimus, ſcire conuenit in recidiuis & veteri morbo præſtare ſeptimi modi purgationes, & decocta ſudorifica. Quibus ſi fortè morbus elidi non poßit, ad inunctiones, cerata, & ſuf-

*suffitus transeundum erit. Dicamus nūc de symptomatum & succedentium affectionum curatione. Sunt autem ea vlcera oris & faucium: capitis, colli, scapularum, & articulorū dolores: gummositates, tuberositates, nodi, scirrhi: alopecia capitis & barbæ, vnguium casus, gingiuæ putrefactæ: dentes mobiles & infecti: pustulæ & maculæ cum faciei tum reliqui corporis: pedum & manuum vlceratæ rimæ cū pruritu: porrigo, fœtor corporis: hepatis incendium: renum, vesicæ, & meatuum vrinalium vlcera: virgæ pustulæ: abscessus inguinum. Quorum vltima morbum non solùm consequi, verumetiam præcedere, & tanquam latenter serpentis contagionis antesignani præire solent.*

## De oris & faucium vlceribus.

VLCERA *oris, quæ Luem hanc consequuntur, aut comitantur de genere corrodentiū & malignorum esse constat, vt mirum non sit ea curationi tam pertinaciter repugnare: Egent itaq; & victu refrigerante & siccante, & post purgationes localibus, & refrigerantibus, & siccantibus, admisto semper aliquo abstersorio, in hunc modū.* ℞ *plantaginis, & caudæ equinæ añ manip. vnum, rosarum, balaustiorum summitatum absinthij, & salicis añ p. j. hordei integri vnc. j. nucum cupreßi, lenticularum, suinach añ drach. iij. decoquantur sufficienter in aquæ*

par=

partibus decem & vna aceti, & in colatura dis
solue mellis rosati, vini granatorum, & diamo-
ri añ vnc.j. fiat gargarismus. Vel sic. ℞ aqua-
rum plantaginis rosarum, et caprifolij añ vnc.ij.
aquæ portulacæ & diamori añ vnc.j. rob de ri-
bes, mellis rosacei, omphacij añ vnc.ß. misce pro
gargarismo. Si prædictis nihil profeceris, ad va-
lentius siccantia transeundum. ℞ fæcis vini et
fæcis aceti, æruginis, aluminis, nitri añ scrup.j.
bulliant in aquis rosarũ & plantaginis vna eaq;
leui ebullitione, mox colentur sine expreßione
valida, & xylo in hanc aquam infuso tange vl-
cerosa loca. Chirurgi vtuntur aqua sublimata,
aut aqua forti, quibus malum exasperari solet,
nisi cum aquis rosarum & plantaginis artificio-
se mitigentur. Ostentant empyrici oleum ex mer
curio. Excellit aqua ex theriaca cum aquæ vitæ
& aceti partibus æqualibus, per cucurbitã vi-
tream imposito capitello destillata, dissoluendo
in ea terram sigillatam, aut Armeniam, & par-
tes erosas molliter contingendo. Huius loco vsus
sum hac mistura. ℞ aquarum rosarum, planta-
ginis, & prunellorum agrestium añ vnc.j. aceti
& aquæ vitæ añ drach.vj. diamori, & mellis ro
sati añ drach.iij. theriacæ, boli Armeni, alumi-
nis añ drach. ij. stent aliquot horas super pru-
nas absque ebullitione, posteą colentur leuiter.
Si fauces malignior & remedijs difficile cedẽs
vlcus obsederit, vnà cum prædictis sudores de-
cocto ligni Indici procura, & miraberis effe-
ctum.

ctum. Prudenter non faciunt qui inunctiones, cerata, & suffitus hydrargyricos adhibent: quod his noua vlcera produci, & iam facta exasperari soleant.

## De dolore Capitis.

MATERIAM dolorem capitis adferentem retrahere oportet hoc aut simili clystere. ℞ betæ, althææ, mercurialis, rutæ, foliorum lauri, cataputiæ, vrticæ an̄ manip. j. radic. polipodij vnc. j. corticis genistæ, & seminis cartami contusi an̄ vnc. ß. florum stœchadis, & chamæmeli an̄ p. j. fiat decoctio, & in colatura dissolue succi radicis iridis per residentiam depurati vnc. j. catholici, hieræpicræ, diaphœnici an̄ vnc. ß. olei rutacei, de castorio, & anethini an̄ vnc. j. mellis anthosati drach. x. salis communis drach. ij. fiat clyster. Posteà applicetur capiti hoc decoctum. ℞ Ramentorum tenuißimorum ligni Indici vnc. ij saluiæ, stœchados, rutæ an̄ manip. j. vini antiqui flauescentis optimi lib. ß olei antiqui lib. j. ß. decoquantur simul ad consumtionem mediæ partis, & de colatura fiat embrocha. Vel cum oleo rutaceo misce rutam ipsam in puluerē redactam, & castorium, & crocum. Vel ex pulegio, serpyllo, saturcia, origano, saluia, calamētha, sabina, hyssopo, lauri baccis, olibano, costo, zingibere, pyrethro, pipere, croco, castorio, euphorbio, fiat puluis, & cum oleo rutaceo, laurino,

rino, irino, nardino & similibus inungantur. Sunt qui theriacam, & mithridatium cum oleo rutaceo & aqua vitæ imponunt. Sunt qui sacculos ex sale, & milio calefactos. Alij nasturtij, sinapi & carei semina in aceto infundunt, & torrent, & ex eis sacculos conficiunt. Atque hæc frigida & flatulenta existente materia conueniunt. Calida verò concurrente caussa, adijcies oleum rosaceum, acetum, omphaciũ, oleum violaceum, semina psillij, hyoscyami & cetera frigida. Fracastorius in capitis doloribus ex Lue Hispanica procedentibus testatur se nihil iuuãtius inuenisse, quàm inungere interna brachia, præsertim qua venæ cephalicæ protenduntur, hoc linimento. ℞ succi inulæ, succi bryoniæ, styracis liquidæ, terebinthinæ añ vnc. j. gummi elemi vnc ß. pinguedinis vrsi, anseris, butyri añ vnc. j. ß. thuris iridis añ drach. iij. olei irini quod sufficit, argenti viui octauam partem, misce, fac linimentum. Quinto autem aut sexto quoq; die catapotijs corruptum in cerebro humorem elicientibus vtendum. Interdum etiam sanguinis mißione, & cucurbitulis auertẽda materia. Hæmorrhoides quoq; aperiendæ, & menstrua ducenda mulieribus. Aut si neque his quieuerit malum, sudorificis decoctis aliquot diebus vtendũ.

## De doloribus Artuum.

CVM dolores artuũ relinquuntur aut redeũt, fouentur partes affectæ vnguentis ceratis

& emplastris Ioannis de Vigo, ceterisq; remedijs argentum viuum recipientibus. Nos hoc vnguento licet Mercurium non recipiat, prospere tamen vsi sumus. ℞ vnguenti Martiati, resumtiui, aragon, & de althæa añ vnc. iij. pyrethri, hermodactylorum, nitri, zingiberis añ drach. vnam. olei chamæmelini, vulpini, laurini añ vnc. vnam. olei de lateribus, et de terebinthina, aquæ vitæ añ vnc. ß. petrolei drach. iij. aristolochiæ rotundæ drach j. ß. ceræ q. s. mistis omnibus fiat vnguentum. Conferunt etiam olea ex ligno Indico, aut granis lauri, vel iuniperi per chymistarum descensorium extracta: aut spuma ipsa in ligni Indici decoctione collecta: & axungia hominis, leonis, vrsi, cati, & similes. Sunt qui ex ramentis ligni in nobili aliquo vino decoctis addito antiquo oleo linimentum parant. Alij, cùm cetera non prosunt, Ligni Indici decoctum propinant, aut suffitum ex cinnabari adhibent. Alij ad balnea naturalia, sulfurea, nitrosa, aluminosa, bituminosa, & metallica ægrum remittũt. Empyrici rationale hoc remedium introduxerũt. Accipe 40. ouorum vitellos coctione induratos, et dissipatos cum vncijs sex pyrethri in puluerem redacti confundito, & per vitrei vasis genus collum retortum habentis sine capitello destillato, lento primum igne, posteà vehementiore. Iterum liquorem, qui fluxerit cum vncia vna castorij & semuncia thuris albi, commisceto, adiectis hermodactylorum drachmis sex, permistaq;

vt ante destillato. Tertiò, liquorem cum fæcibus suis subigito & lauri baccas adijcito, & destillato. Si sæpius id feceris oleum elicies in discutiēdis Morbi Hispanici doloribus nulli remedio conferendum. Proderit interim septimi modi purgationibus infestantem materiam adimere.

## De gummositatibus, tuberositatibus, nodis, scirrhosisq; tumoribus.

ACCIDVNT sæpe tuberositates in capite, brachijs, & tibijs molliusculæ, quæ ferè suppurantur: sed, si discutientia maturè adhibueris, resoluuntur. Suppuratæ autem oßis corruptionem minantur. Qua de caussa candenti ferro aperiuntur, facta posteà absterſione & desiccatione sanantur. Accidunt quædam duriores ac cōpactiores materia tanquam nodis constricta ac condensata. Has etiam non nunquam mollire ac resoluere tentant, sed tandem cauterio incidūt. Fit autem incisio secundum tumoris longitudinem & profunditatem. Sunt tamen qui malint in radice, qua nodus in partem inferiorem & expurgationi idoneam desinit, intacto ipso nodo cauterium leuiter affigere: vt nodi materia ad eum locum sponte confluens paulatim euacuetur, & ab oßis inuasione reuellatur. Cauterijs enim profundioribus oßium putredinem ac cariem verentur. Interim imponenda nodo mollien

tia & cetera quæ conuenire videbuntur. Absq; incisione sponte discutiuntur septimi modi purgationibus, plerũque etiam vsu ligni Indici: aut si localibus opus sit, curãtur spuma in decoctione ligni collecta, ceterisq; remedijs ad dolores artuum facientibus. Fit plerunq; vt cum maxima duritie, & dolore intolerabili in longitudinem tibiæ protendantur. Conferunt his emplastra ex radicibus cucumeris agrestis, inulæ, bryoniæ, ebuli, iridis, & ammoniaco, bdellio, oppoponace, sagapeno, styrace, terebinthina, cum pinguedinibus vrsi, cati, leonis, hominis, hirci, cerui, vituli, porci, & butyro, adiecta ferè argenti viui quarta omnium parte. Quidam suffitum ex cinnabari adhibent. Alij, quod Galenus in tendonũ scirrhis faciebat, in accensum & candentem pyriten, aut molarem lapidem acetum spargunt, & fouent locum. Recentiores aceti loco Ligni Indici decoctum vsurpant.

## De alopecia capitis & barbæ.

IN procidentia capillorum, & depilatione fouc locum olei myrthini, lentiscini, & de meliloto æqualibus partibus: vel absinthio, & corticibus auellanarum vstis, coctisq; cũ oleo myrthino, vel aqua decoctionis myrtillorum & feni græci: vel vino nigro austero cum aloë cocto, vel ligno Indico in vino adstringente cum melle & ladano percocto. Conferet etiam hæc mistura

ra. ℞. myrtillorum, ſpicænardi, radicis aſphodeli, corticis pini añ vnc. j. ladani, ſeminis apij, foliorum ſenæ, cyperi, añ vnc. ß. ſeminis papaueris albi, corticis tamaricis, ſeminis abſinthij, roſarum albarum, ſeminis hederæ, añ drach. iij. ferueant in duplici vaſe in vino adſtringente, aut in oleo myrtino & lentiſcino ad tertiæ partis cōſumtionem. Ad idem valet hoc odoriferum. ℞ pomatæ vnc. ij. ladani vnc. ß. muſci grana iij. aquæ roſatæ in qua grana ſex ſublimati bullierint vnc. vnam, miſce omnia & line partes depiles, et deformes. Conferet etiam aqua ex theriaca, aceto, & aqua vitæ deſtillata.

## Ad vngues cadentes.

IISDEM ferè remedijs retinebis vngues: quod ſi commodè fieri non poßit, accelerabis caſum cum vnguento baſilico, aut cum farina tritícea cum butyro & violarum maluarumq; decocto confecta. Remoto vngue abluatur locus cū aqua hordei, ſaccharata, poſteà cum oleo ex vitellis ouorum, & tandē tegatur cera noua odorifera, cū paucula terebinthina, & pauco oleo roſaceo ſubacta. Sic enim nouus ſuccreſcet vnguis.

## Ad gingiuas putrefactas.

GINGIVAS putreſcentes & eroſas colluες primò decocto Ligni Indici, aut tormentil-

læ: posteà absterges hac mistura. ℞ mellis rosacei vnc. j. ß. eboris vsti, rosarum albarum, oßis sepiæ, myrrhæ, aloes an̄ scrup. j. Desiccabis tandem cum puluere gallarum vstarum, & aluminis, vel cum communibus dentifricijs. Si hæc non prosunt, ad ea, quæ oris & faucium vlcera sanant, recurrendum.

## Ad commotos & infectos dentes.

CONFIRMABIS & absterges commotos & infectos dētes aluminis vsti in aceto extincti, & cornu ceruini similiter præparati æqualibus portionibus, facto inde dētifricio. Absterguntur optimè cum aqua forti mistione aceti & aquarum adstringentium mitigata. Confirmantur alumine rotundo cum duplo sale dentibus adsperso, adiecto interdum rosarum, & corallorum puluere.

## Ad pustulas & maculas faciei & reliqui corporis.

PVSTVLAS & maculas liuidas, rubentes, nigras, quotidie bis ablues aqua sequenti. ℞ mastiches, olibani, tragacanthi, ladani an̄ drach. j. succi limonum vnc. j. aquarum plantaginis & rosarum an̄ vnc. ij. sumach, tartari rubri, coralli albi, boracis an̄ drach. ß. sublimati in puluem redacti gr. iij. bulliant simul in vase vitreo lento ig

ne ad quartæ partis consumtionem. Posteà fiat colatura clarificata & aromatisata cum granis aliquot musci. Biduo aut triduo pustulas omnes & maculas delebis hac mistura. ℞. albumen vnius oui recentis, agitetur donec spumescat, deinde adde sublimati & camphoræ aã gr.iiij. agitētur iterum simul & misceantur, donec vnguenti formam recipiant. Sunt qui suffitibus ex thure, borace, styrace, marchasita, & sublimato vtuntur. Pustulas tamen, cùm in declinatione fuerint, oleo balanino, aut tartareo inungere conuenit: ne fœdas cicatrices aut maculas relinquant.

## Ad pedum & manuum vlceratas rimas cum pruritu.

PRVRITVM exstingues cum succis limonū, & semperuiui: aut epithemate ex aloë in aceto scillitico & muria cocto. Rimas verò simul & pruritum sanant oleum tartareum, oleum de vitriolo, tartarum & vitriolum, & ærugo concorporata cum axungia porcina recente & limonum succo. Conferunt etiam borax, camphora, sublimati grana aliquot cum pomata & oleo rosato subacta, & post fomentum ex maluis, rosis, violis, absinthio, inula, oxylapato, fumaria illita. Cùm cetera non prosunt, adhibentur suffitus ex marchasita, auripigmento, mercurio sublimato, cinnabari.

## Ad porriginem & cutem furfuraceam, cũ faciei tum reliqui corporis.

FVRFVRES *qui in capite multiplicantur discutientibus & tergentibus ſanantur, admiſto ſemper aliquo adſtringente ad roborandam partem affectam, ne facilè ſuſcipiat influentes ſeroſos humores, ſed reſiſtat eosq́; repellat. Qua de cauſſa parantur loturæ, vnguenta, linimenta ex beta, abſinthio, apio, iride, ſtœchade, fenograeco, parietaria, amygdalis amaris, fabis, eruo, lupinis, alumine, nitro, pumice, atramento ſutu- rio, aqua marina, lixiuio, aceto, vrina, muria, balneorum naturalium aquis. Quibus etiam ad to- tum corpus vti licebit.* Facies *tamen cum furfuribus inficitur, blandiora parabimus in hunc modum.* ℞ *amygdalarum amararum, farinæ fabarum, & orobi añ vnc. j. aluminis, boracis, maſtiches, olibani, tragacanthi añ vnc. ß. ſucci limonum vnc. ij. aquarum plantaginis, roſarum, & liliorum alborum añ vnc. iij. lactis caprini recentis vnc. iiij. miſta omnia diligenter, deſtillentur lento igne more ſolito. Vel,* ℞ *farinæ fabarum vnc. j. maſtiches, tragacanthi, boracis añ drach. j. ß. ſtent ſimul per diem integrum, in aquis roſarum & plantaginis: poſteà bulliant leniter in duplici vaſe, & ſine expreßione colentur, & tandem addito aut vino albo aut aceto albo fiat lotura. Sunt, qui ieiuni aquam roſaceam in ore continent, & roſata illa ſaliua faciem abluunt.*

Sunt,

Sunt, qui vrina propria vtuntur. Alij limones cum vino coquunt in minutißima frusta concisos. Alij micas panis albi adhuc calentis coquunt in vino albo, & aquis fabarum, rosarum, nymphææ. Excellit hæc destillatio. ℞ mellis rosati colati, aquæ rosatæ, & succi limonum añ vnc. ij. tragacanthi, mastiches, cerusæ, amyli, olibani añ drach. iij. aluminis, coralli albi, spumæ vitri, oßis sepiæ, boracis añ drach. ij. salis gemmæ, drach. j. ß farinæ fabarum vnc. j. aquæ vitæ vnc. j. ß. albumina ouorum. iij limacum cum suis testis contusorum drach. vj. camphoræ drach. ß. cinnamomi vnc. ß misce & destilla more chymico. Vtantur hac aqua tanquam præstantißima mulierculæ, & quicunque nutrire formam & venustatē sibi conciliare student. Verùm in exitu balnei præstabit hæc adhibere remedia. Balnei loco esse poterit vapor ex decocto florum maluæ, violarum, rosarum, cichorij, liliorum alborum, chamæmeli, & roris marini exceptus.

## Ad fœtorem corporis.

EXHALAT plerunque fœtidus sudor, & putridus vapor è corporibus eorum qui pudēdagra laborarunt, contagionis ac infectionis seminarijs in corpore adhuc vigentibus. Curabis hos purgationibus, vaporario, lauacris, & contagioni resistentibus medicamentis, de quibus diximus in primo libro. Lauacris autem inseres

absinthium, fumariam, origanum, serpyllum, saluiam, pulegium, thymbram, inulam, mercurialẽ, oxylapathum, scabiosam. Præstabunt balnea naturalia, aluminosa, nitrosa, & sulfurea. Odoribus prætereà & bene olentibus perfusionibus & pulueribus extremitates & indumenta adspergere conuenit.

## Ad Hepatis incendium.

AVGETVR hepatis calor & putredine & inunctionibus & decoctorũ calidorum vsu. Emendatur hoc linimento. ℞ succi filicis, & succi cichorij, vtriusque depurati vnc.j. santalorum omnium añ scrup.j. olei rosati vnc.ij. farinæ hordei drach.j. ceræ albæ q.s. misce & cõfice linimentum. Bibendi etiam succi cichorij scariolæ, intubi, rostri porcini: atq; herbis ipsis & radicibus partim cum saccharo conditis, partim in iure decoctis, aut in patinis aceto & oleo adspersis in prima mensa vtendum. Proderit etiam hoc electuariũ. ℞ succi cichorij depurati vnc. ij. succi portulacæ vnc.j.ß. succi feniculi vnc.ß. seminum cucumeris, & intubi añ drach.j. oxysacchari quantum satis erit ad commiscendum. Detur ieiuno magnitudo auellanæ, aut nucis iuglandis, cum iure pulli aut alio conueniente liquore: aut citra dissolutionem deuoretur. Victus refrigerans esse debet. Vino non nisi dilutißimo vtendum. Ptisana hordei, et lac amygdalarum

larum cum feminibus frigidis coctũ, panata etiã cum omphacio, & alica cum ſucco granatorum, aut cum aceto cibi erunt conuenientiſsimi.

## Ad ardorem vrinæ, & renum veſicæ meatuumq́ue vrinalium vlcera.

ARDOR vrinæ his ex vlcere potiſsimum accidit. Deprehendes autem renum vlcera ex dolore in lumbis cũ grauitate & veluti quodam pondere, ex vrina purulenta, innatantibus carnoſis particulis, aut veluti pilis. Vrina præterea facilè & citra dolorem emittitur. Veſica verò affecta, vehemens cruciatus pectinẽ imũq; ventrem inuadit, vrina magna cum anxietate redditur, & fæculenta ſimul excernuntur, aut mucoſa, aut farinæ inſtar craſſa ſubſidunt. Aliquando etiam ſquamulæ circunferuntur, & lamineæ quædam ſubſtantiæ. Furfureæ verò hypoſtaſes veſicam ſcabie laborare ſignificant. Vreterum exulcerationem denotant puris non adeò craſsi miſtura & veluti capillamenta vrinis innatantia: dolor etiam in media inter veſicam & renes regione. Si pus aut ſanguis ſolus abſque lotio excernatur, non in dictis particulis, ſed in pudendo denotatur exulceratio. Curantur inſtrumenta vrinæ ſic affecta. Primò quidem facilibus totius corporis purgationibus. Secundò abſtergentibus. Tertiò deſiccantibus, glutinantibus, et ſimul vrinæ humorumq; acrimoniam exſtinguentibus

tibus. De purgationibus satis diximus. Abstergentia sint aqua mulsa, fenigræci decoctum cum pauculo melle, aqua passularum & hordei, decocta seminum cucumeris, melonum, maluæ, zizypharum, glycyrrhizæ cum mulsa, aut lac cum melle. Desiccabunt electrum, semen plantaginis, bolus Armenus; terra Lemnia, coriãdrum tostũ, ebur vstum, cornu cerui vstum, santali, coralli: glutinabunt amylum, tragacanthum, gũmi Arabicum, semina melonum, cucumeris, portulacæ, papaueris: contemperabunt, & acrimoniam obtundent semina maluæ, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli, portulacæ, papaueris albi, amylum, tragacanthum, succus & puluis glycyrrhizæ, zizipha, myxa, vuæ passæ. Lac verò ad tergendum glutinandumq; vlcus, & reprimendam mordacitatem mirificè conducet. Proderunt etiam nuclei pineæ nucis, amygdalæ, & pistacea aqua rosarum madefacta. Extrinsecus affecti renes & vreteres post detersionẽ inungendi erũt oleo rosaceo, myrthino, mastiche, thure, rosis, corallis, santalis. Vesica verò affecta, per catheterem iniicies tergentia illa, quæq; siccant, glutinant, & acrimoniam obtundunt. Pubi verò impones cataplasma ex symphyto et equiseto: aut equisetum cum oleo myrthino in pila plumbea contundes, posteà exprimes succum & pubem inunges. Quæ remedia etiam in penis exulcerationibus præstantißima esse constat. Sed refrigerantibus iniectionibus crebrò vtendum non

est:

eſt:ne, quod ſæpe accidit, nimio frigidarum rerũ cõtactu muſculus collo veſicæ adhærẽs reſoluatur, eoq́; reſoluto vrina ſponte decidat & defluat. Notandum etiam valenter adſtringentia per os ingeſta hîc minime excellere. Sibiipſis enim ſunt obſtaculo, ne ad tam remotas particulas penetrare queant: quippe meatus per quos ferri debent valida eorum facultate conſtringi ac cõdenſari cõtingit, vt longius eorum vis propter conſtrictionem conduci non poßit. Qua de cauſa terram Armeniam, & terram ſigillatam cum mulſa, aut ceteris ad vias vrinales cito confluentibus propinare ſolemus. Nos peracta cum mulſa deterſione hoc puluere vtimur. ℞ granorũ halicacabi paria vij. ſeminum cucumeris, portulacæ, & papaueris albi añ drach. iij. amyli, ramentorum eboris, glycyrrhizæ, radicis tormentillæ añ drach. ij. margaritarum orientalium, coralli albi & rubei, añ ſcrup. j. ſacchari ad pondus omnium, fiat puluis. Conferunt etiam hæ tabellæ. ℞ pinearum purgatarum horis duabus in aqua roſata calida temperatarum drach. ij. ſeminum cucumeris, melonum, portulacæ, papaueris albi añ drach. j glycyrrhizæ, ſantalorum alborum et rubeorum añ ſcrup. j. ſacchari in aquis roſarum, graminis; & ſolatri reſoluti q. ſ. miſce & confice elect. in tabulis. Proderunt etiam nuclei pineæ nucis, mixa, zizypha. quæ diem integrum in aqua ſolani maduerint.

## Ad virgæ puſtulas.

Puſtu-

PVSTVLAE virgæ, quædam leues sunt & paucæ malignitatis: quædam maligniores ac pertinaciores, suspitionem præbentes imminentis iam aut recidiuantis morbi Hispanici. Leues localibus abstergẽtibus & siccantibus, admistis propter imminentes inflammationes refrigerantibus, curantur: nimirum hac mistura, quæ recipit tutiæ cum aqua rosata præparatæ, æruginis añ drach.ij. anethi combusti, abrotani vsti añ drach. j. bulliant in aquis rosarum & plantaginis vnico feruore, mox sine expreßione colentur. Maligniores post catholica remedia terges & siccabis cum vnguento Aegyptiaco in dictis aquis dissoluto: posteà etiam cum puluere Mercuriali, aut mistura sequenti. ℞ æruginis, aluminis, pulueris mercurialis añ drach. j. vini albi vnc. ß. aquarum plantaginis, & rosarum añ vnc. j. bulliant leuiter & non colentur, vtere mistis omnibus. Intereà sumendo quæ contagioni resistunt, ne infectionis seminarium in partes internas irrepat, et venoso generi principibusq; particulis malum communicetur.

## Ad abscessus inguinum.

INGVINVM abscessus post venæ sectionem & medicamentis factas euacuationes resoluere aut maturare conuenit: maturatos verò aperire, apertos tergere, & tandem siccare, & ad cicatricem perducere. Resolues eos ammoniaco in aceto & aqua vitæ resoluto, & diachylone ireato, & similibus. Maturabis, &, quod

tutius hic esse putatur, concoques hoc vnguento. ℞ ficuum contusarum radicum liliorum alborum sub prunis coctorũ añ vnc. j. axũgiæ porcinæ, & terebinthinæ añ drach. vj. farinæ tritici vnc. ß. olei oliuarum, & de lilio añ vnc. j. ß. croci scrup. ij. ceræ q. s. mistis omnibus fiat vnguentũ. Proderit hoc etiam. ℞ radicum bryoniæ, & althææ elixarum, & posteà contusarũ, radicum liliorum alborum sub prunis coctorum añ vnc. j axungiæ porci colatæ, terebinthinæ, et olei oliuarum antiqui añ vnc. j. ß. misce & confice vnguentum. De paratu facilibus est farina tritici in oleo antiquo decocta, & cum terebinthina confecta. Maturus tumor candenti ferro aperiri debet. Neque enim hic tuta sunt quæ potentialia vocantur cauteria. Apertus mundetur cum melle rosato myrrha, aloë, admisto interdũ vnguento apostolorum, aut Aegyptiaco: quibus theriacam aut mithridatium adijcere non erit inutile. Cõferet hac de caussa vnguentũ sequẽs. ℞ farinæ fabarũ vnc. ß. terebinthinæ, theriacæ, mithridatij añ drach. iij. mellis rosati vnc ij. myrrhæ, & aloës añ drach. j. ß. olei de absinthio, & ceræ q. s. fiat vnguentum. His peractis desiccabis & ad cicatricem perduces vlcus cum vnguento ex põpholyge, cũ triapharmaco, cũ desiccatiuo rubeo, & ceteris huius farinæ. Interim ne putredo serpat, adhibebis remedia, quæ contagionis seminaria exstingunt ac interimũt.

FINIS.

BERNARDVS PODIVS LVCENSIS MICHAELI Ferrerio apud Auſcos medico hanc Aug. Ferrerij Pudendagram commendat.

*Europæ partes qui ſe diffundit in omnes,*
*Et ſæuit medijs vrbibus Hiſperiæ:*
*Si vacat, inſueti cauſſas hîc adſpice morbi,*
*Qualem Phillyrides noſcere non potuit.*
*Nam cæli vitio, vel labe vagatur Ibera*
*In Gallorum oris, Auſonijsq́; lues.*
*Cui prius ausꝰ erat præſcribere pharmaca nemo,*
*Affecti tamen hîc quo medeantur habent.*
*Quodq́; nec Hippocrates, nec Pergama rura*
*Ferrerius libro præſtitit exiguo. (dederũt,*
*Cuius es ingenium ſolitusq́; probare laborem,*
*Cui ſimilem Gallos vix habuiſſe putem.*

DE

# DE RADICE CINA HIERONYMI CARDANI Medici Mediolanensis. responsum.

IN casu huius eruditißimi viri laborantis erosione gingiuarum & dentium, concußione facta ex humore calido & acuto: quæsitum est an radicis Cinæ exhibitio cõferre poßit? Respondeo quod iuxta Principem medicina experta melior est, quàm non experta. Et manifestum est, quòd in Pthoë cum alijs auxilijs curaui fratrem Petrũ martyrem, & filiam Bartholomei ephippiarij: & filium Gabrielis de Rigamonte: & Hieronymum Tiboldum: & filium fabri lignarij habitantis sub porticum portæ Tonsæ: & mulierem iuxta sanctum Marcellinum, omnes ex phthoë exquisita deploratos, & ab alijs, vt breui morituros à Medicis relictos: cùm quibusdam eorum, nec viuentis effigies superesset: alios etiam innumeros curaui ex eodem morbo tribus illis vijs regijs narratis in libello Experimentorum, quos longum esset referre, præsertim cùm ex his plures non essent, adeò vt hi, quos ego narraui, cõfirmati: & nunc à biennio citra omnes præter vnum curati sunt, aut ex toto, aut vt poßint pluribus annis superuiuere. Quare non video, cur mihi Cina sit experimento in Phthoë cura tentanda: tum magis, quod generosi quidam Medici-

ci nostri voluerunt in cura illius Thesaurario Martino illam exhibere, conspiratione eripientes illum è manibus meis, cùm nondum cognitus essem in tam præclara experientia, spe huius noui medicamenti, & intra menses quatuor miser ille vitam finiuit: nostri autem adhuc omnes etiã viuunt, videnturq; potius omni alio morbo perituri, quàm ex pthoë. Sed nec in Gallica lue ligno Sancto potest cõparari: nos enim cùm plus quàm centum nobiles ex ea curauerimus, nunquã Cina indiguimus. Quare cùm minùs valeat, in quibus maximè probatur, quid in hoc sperandum? Vt autem aliquid de Cinæ natura ac viribus dicam. Est illa quidem radix non parua, crocei, ac subalbidi fermè coloris, pallida & gustu subacida, odoris fermè nullius, vt quæ sit, quasi lignum: adeò efficax, vt nullum aliud medicamẽtum, ne venenum quidem posit ei comparari. Nam primò vel septies cocta, vel etiam plus quam decies, vim præbet medicamenti egregij: & aquam, vt pulli ius efficit: & vncia eius incoquitur aquæ vncijs 200. donec fermè ad 70. redeant. Nihil autẽ est, quòd tam diu vim suam posset, ac in tam magna aquæ quantitate, impartiri. Vehitur ex India ex regione Ciniana, vt existimo. Scinditur in subtilißima frusta, lataq;, vt coronati aurei, atque vt dixi 200. aquæ vncijs, vncia vna in nouo lebete terreo lapideóue immergitur feruetq; donec ad 65. redeat, intecto semper vase ne fumus poßit exire: inde ab igne

de-

detracta, proxima igni constituitur, circumuolutis pannis, ne vel quidquam exire poßit fumi, aut repente refrigerari. Purgans decoctum reddit dimidia Ganti drachma quæ Alypi est radix. In singulos autem dies renouatur decoctũ: amarescit enim, vt pro 24. diebus 24. vnciæ sufficiant. Bibuntur summo mane calidißimi decocti vnciæ 14. pannisq; prolicitur sudor: inde licet post tres horas bene contectum pannis, etiã si non sudauerit, è domo exire. Seruatur interim calida vsque ad vesperas, bibiturq; cum cibo, nec aliud omnino quidquam, sed et interdiu: non tamẽ adeò feruens, sed quasi tepida. Abstinebit à Venere, meridianoq; somno, cibis etiam omnibus acribus, salsis, amaris, acidis, lacte, ijsq; quæ ex lacte fiunt, tũ iuribus, ac fructibus. Vtetur pane, ac pulli carne elixata in singulos dies bis, à cibo autem etiam melle: hoc enim huic decocto maximè conuenit. Post 14. diem autem, pullis aßis vti licebit, absq; condimentis. Si morbi Gallici caussa exhibeatur, lauentur hoc decocto singulis diebus optime vlcera, & panni ex illo madidi imponantur absque ligatura. Licet etiam post 8. dies semel, si virtus admodũ sit debilis, vini aliquid decocto hoc lymphati bibere, atque ita interdictis duobus diebus repetere. Si aluus non demittat, decocto, oleo rosato, melle & sale clyster fiat, nec aliud alterius generis: subducit enim aluum egregiè: cogitur autem aluus plerunque à 7. die, ac in posterum suppressa

manet: quo tempore etiam incipiunt in Gallico morbo ſæuiſsimi dolores, ſcilicet à ſeptimo die: ſed hi vt plurimum ad 14. terminantur: alui autem duricies manet vſque ad finem dierum, quibus decocto vtitur. Peractis 24. diebus colligitur lignum, quod relictū fuerat in ſingulos dies, ac in vmbra ſiccatum exactè, denuò comminutū in exiliores partes, tantundem aquæ incoquitur: ſed vt duæ vnciæ ligni 200. aquæ imponantur: redeant autem ad 65. vt prius, exhibeturq́; eadē ratione, iiſdemq́; præceptis per duodenos. dies. Interim autem licet ludere, ſpaciari, contectum pannis, negotiariq́; ſerenis trāquillisq́; diebus. Manifeſtum eſt autem, quòd naturâ, & proprietate hoc agit Cina aduerſus Gallicum morbum: non autem licet victus tenuitatem, vt in ligno Sancto, in cauſſam curationis adducere. Neque ſiccitate id agit ſola: impinguātur enim accipientes. vis igitur eius exiccans, & putredini tum ob hoc, tum ob vim propriam reſiſtens: habet & acrem partem, ob quam ad amarum conuertitur facillimè, & vtentes ab acribus, amaris, acidisq́;, ac ſalſis arcet. Valde enim tenuium eſt partium: habet & partem ſucculentam, ac dulcem, & vnctuoſam, qua impinguat, & proprietate ſua iecur confirmat. Ob hæc igitur ad quæ proſit, ſatis eſt manifeſtum. Hydropi ſiquidem, vlceribusq́; malignis, phtoë, lepræ, elephātiaſi, Gallico morbo, & atrophiæ, & ſcirrhis iecoris.

DE

# DE SARZA PARILIA sententia eiusdem.

RADIX *quædam nuper tenuis, ac sub crocei coloris, ex India aduehitur, quam ego omnium Mediolani primus vidi: erat autem non absimilis glycyrrhisæ tenuissimæ, rugosa scilicet (nam ea talis cùm siccatur euadit) & colore inter croceum & cinereum: sed gustus subamarus erat: odor vix sentitur. Vncia vna in lib. ij. aquæ colorem addit vini rubri turbidioris, odorem quasi grauem, amaritudinem non leuem, & summè prouocat sudorem. Partium est tenuium, crassarumq; : nam amaritudo in terreo constat, calida est in fine primi ordinis, sicca in secundo: epota cum tenui victu, scilicet pane biscocto, atque passulis, per dies 40, Gallicam luem plus iuuat quàm Cina, aut lignum, quod Sanctum vocatur. Expedit àutem, vt sic etiam opituletur his, qui arthritide laborant, & vlceribus prauis, & his, qui ob pituitosum humorem laborant œdomatibus, aut morbis vltra hepar. In obstructionibus autem concauæ partis iecoris, & ventriculi mala coctione, non auderem hoc tentare, nisi forsan victus tenuitas nos à periculo tutos redderet. Quod etiam iecur confirmet, quodq; lienem extenuet, quod incipientem elephantiasim curare poßit, & hoc verisimile est. Dantur decocti vnciæ sex in singulos dies summo mane, id est hora diei secunda, tantundem ho*-

ris ante cœnam tribus: tum cum cibo quantum volet. Permittitur autem ſudare contectus pannis ab aſſumpto potu: verùm, vt ſudauerit, liberior eſt, quàm in aſſumptione Indici ligni: neque enim prohibetur quin ad ſolita prodeat exercitia, niſi frigoris mœtu, vnde contectus pannis eſſe debet, & vitare infauſta tempora pluuiarum, ventorum, & frigoris. Meminerit eius quod ſcripſit Hippocrates. Vbi fames laborandum non eſt: atque ſimiliter cauendum, vt inquit Galenus, à ſectione venæ: ſic & à Venereis, ac curis nimijs. Singulis tamen decem diebus purgare conueniet corpus, cum catapotijs, quæ lentos humores & craſſas feces expellere poßint: qualia ex aloë, colocinthide, & elleboro componuntur. Alij præbent ſiliquam Indam cum diacatholicone: quod vt minùs vtile eſt, ita magis tritum. Habet autem vim præcellentem inter ſui generis medicamenta hæc radix, in emendandis capitis ac cerebri vitijs: ſeu ob tenuitatem, ſeu ob proprietatem quandam. Et quanquam hæc ita ſint candide lector, non tamen tantæ victus tenuitati ſeorſum, præſertim purgationibus frequenter adhibitis, parum ad curandos conſimiles morbos tribuerem. Quò fit, vt Gallicam hanc peſtem inter frigidos affectus collocauerim. Sic humana ſolertia indies inuenit, quod iam inuentis meritò præponi poſſit, vidimus in claro viro Martino Chiaues Hiſpano poſt modicæ quantitatis hauſtum (nam in

eo periculum primò fecimus) crassam atque sanguineam materiam è naribus descendentem: ita vt propter os, quod inter medium est, miraremur, quanquam vlcera aliunde vsque ad os penetrantia, à descensu diuerterent. Constat autem Indicas res maiori præditas esse virtute, etiam pro qualitatum ratione. Sed de hoc à nobis in libello de Subtilitate dictum est. nunc autem, quoniam ita sit, solum intellexisse sufficiat. Quodq; generaliter peregrina medicamenta plus agant: aër autem, atque cibi, ac potus patrij, ad vitæ vsum magis conducunt.

# EXTRAICT DESDITZ LIVRES TOV-CHANT L'ADMINISTRATION de certains particuliers remedes.

## Du boys Sainct ou Guaïac. Chap. I.

LA'DMINISTRATION du boys Indique, que l'on nomme Guaïac ou boys Sainct, proffite grandement à personnes molles & delicates, & aux sanguins, & à ceulx qui sont affligés de pituite coulente, ou prompte à defluxion. Aux choleriques aussi & chaleureux est proffitable, quand la decoction est faicte en plusgrande quantite d'eaue, & iusques à la consumption de la tierce partie seulement: en y adioustant (si la chaleur est excessiue) quelques racines de cichorée. Aux melancholiques & phlegmatiques abondans en humeurs crasses, visqueuses, glutineuses, & gommeuses, n'est suffisant remede. Quoy noté, si par ce moyen tu entreprēds guerir la maladie de Naples, que le vulgaire appelle communement Grosse Verole, il te fault premierement auoir recours au Medecin pour ordonner les preparations, saignées & purgations. Ce faict, venant à la suerie, tu prendras huict onces de la pouldre dudit boys faicte à la

lime,

lime, ou au tour, & non par incision ou contusion: prendras außi quatre onces de son escorce en pouldre: & vne once de polipode. tout ceci destremperas auec dix ou douze liures de bonne eaue, & laisseras tout reposer ensemble par vingt & quatre heures, dẽs vn grand vaisseau vitré, et couuert. Apres en feras decoction dens le mesme vaisseau, iusques à ce que la moytie de l'eaue sera consommée, escumant tousiours le pot, & reseruant à part l'escume. Si le malade excede en chaleur, tu te contenteras les cuyure iusques à la consumption de la tierce partie, & y pourras mettre quelque peu plus d'eaue. Puis couleras ladite decoction, & la mettras à part pour faire suer ton patient, cõme dirons apres. En coulant fault garder le boys qui reste comme lye, pour icelluy nouuellement destremper auec autres dix ou douze liures d'eaue fresche, & en ferez decoction iusques à ce que la quatriesme partie soit consommée. A laquelle quand sera passée & coulée, adiousteras vn peu de succre, ou vn peu de miel commun, ou rosat, pour luy donner goust. De ceste eaue boyra le patiẽt à ses repas. Toutesfois s'il à l'estomach debile, & que son foye ne soit trop chauld, au lieu de l'eaue, tu pourras faire lesditz deux decoctions auec de bon vin blanc purifié. Et s'il y a goutes & douleurs, adiousteras à la premiere decoctiõ demy once d'hermodactyls: et pour nettoyer les humeurs adustes, six drachmes de

ſene. Ces preparations faictes, tu mettras ton patient en quelque chambre ſecrete, & chaude, hors de tous vents & de tout bruyt: et dés ſon lict luy feras boyre ſix ou huict onces de la premiere dedoction, ſur les quatre heures de matin, & le tiendras chauldement, & le garderas de bouger du lict de trois heures apres, afin qu'il ſue. Sur les neuf heures tu le pourras faire diſner. Apres midy enuiron les trois heures, de rechef luy feras boyre demy liure de ladite decoction, & ſur les huict heures le feras ſoupper. L'endemain, & conſequemment iuſques à trente iours (peu plus ou moins) tu continueras ledit remede eſdites heures;: & eſſuyeras diligentement ton homme, & ou il y aura douleurs ou puſtules, gummoſites, & tumeurs, l'oindras auec l'eſcume qu'aures reſeruée. S'il ne peult endurer deux fois le iour la ſuerie, te contenteras le faire ſuer de matin. Et fault pour bien faire, que le patient ne bouge de ſa maiſon iuſques à la fin de la gueriſon, combien qu'aucuns donnent temerairement liberte de ſortir. Quant à la maniere de viure, il euitera toutz potaiges, & toutes viandes bouilles & humides. Laiſſera toutz fruictz, fors que les paſſerilles, amandes ſuccrées, & pignons ſucrés, ne mãgera qu'a diſner & ſoupper, & alors vſera de pouletz, gelines, chapons, perdris, pigeons, tourtourelles, griues, lapins, cheureau, mouton, veau tout roſti. S'il tombé en ſi grande imbecillite qu'il ne

puiſſe

puisse manger chair, luy permettras lórge monde, & la panade, & quelques moyaux d'œufz: & l'aduertiras que moins il mangera plus luy proffitera. Quant au pain, ie præfereray tousiours le pain de bon froument, mixtioné de quelque partie de son, ou bran, au pain biz. Si le ventre est serré, de trois en trois luy donneras vn clystere commun: ou en ceste sorte. ℞. primæ decoctionis ligni Indici lib. j. & quart. j. caßiæ cum saccharo conditæ & mellis rosati añ vnc. ij. olei cõmunis vnc. iij. salis cõmunis parũ, mistis omnibus fiat clyster. Et pour euacuer les humeurs qui ne peuuent estre conuerties en sueur, luy feras prendre medicine laxatiue vne fois chascune sepmaine, ou de dix en dix iours, sur quoy prendras conseil du medecin. Si le malade est enfant de laict, tu le purgeras par clysteres, & feras ordonner quelque medicine laxatiue à la nourrice, affin que de ce laict alteré de la vertu de ladicte medicine l'enfant soit purgé. Puis feras boyre à l'enfant trois onces de la seconde decoction chascun matin, & le feras suer huict ou dix iours, par interualles, s'il est besoing. Tandis la nourrice viura comme si elle estoit malade de la mesmes maladie. Aucuns distillent par alembic la premiere decoction dudit boys, & d'icelle vsent pour fere suer les enfans, qu'est remede moyns deplaisant au goust, & fort vtile.

## Des Inunctions. Chap. 11.

LA guerison par inunctions qui reçoyuent argent vif, à bon droit pourroit estre estimée la plus seure comme plus prompte, n'estoit que en peu de iours donne grand trauail, & à cause que l'argent vif laisse tousiours quelques mauuais accidents. Parquoy faut prẽdre esgard à la correction & mistion d'icelluy. Et premierement faut entendre de quoy & comment doibuent estre composés lesdits onguẽts. Car procedãt par raison la ou il apparoistra plus de tuberosites & de neuds, il y fault beaucoup plus de gresses: la ou y aura plus de pustules & vlceres, il y fault plus de pouldres. Pour gens sanguins, delicats, & pour gens choleriques, & en temps chault, il y fault plus de beurre et d'huille rosat. Pour les enfans, les gresses & le beurre doibuent occuper la plus grande partie de l'onguent. Pour les robustes, tu y pourras mettre autant d'argent vif comme monte la troisieme ou quatrieme partie des autres choses qui entrent à l'onguent. Pour les delicats, suffira la sixieme partie. Pour les enfans la septieme ou huictieme: & fault qu'il soit bien arresté & amorti, & curieusement pilé & meslé. En tout soit l'onguent composé des choses remollitiues, rarefactiues, resolutiues, abstersiues, desseichantes, & d'argent vif, comme sensuit.

℞ vnguenti martiati, & triapharmaci añ vnc. ij. lithargyri vnc. iij. minij, lapidis calaminaris, myrrhæ, aloës, marchasitæ argenteæ, añ vnc. j.

axun-

axungiæ porcinæ recentis mundatæ à pellibus, butyri recentis sine sale añ lib.j. succi limonum, aquæ vitæ, olei de terebinthina, & laurini añ vnc.j.ß. hermodactylorũ, styracis liquidæ, ammoniaci, aristolochiæ rotundæ añ vnc.ß. ducantur diu in mortario, irrorãdo oleũ rosaceũ & aquã scabiosæ: postea adde argẽti viui cũ sale & aceto aut saliua exstincti vnc.x. et ceræ q.s. mistis diligẽter omnib⁹ fiat vnguẽtũ Duquel, ou d'autre semblable, apres les preparatiõs, et vniuerselles purgatiõs, tu oindras tout le corps du malade aupres du feu, fors que la teste, la poictrine, & les aysselles: ausquelz lieux ne doibuent toucher tels onguentz, combien que les empyriques passent oultre. Incontinent enuolopperas tout ton homme auec linceulx chaulds, ou force estouppes chauldes, & le mettras dẽs le lict pour suer. Pour augmẽter la sueur, et faire penetrer l'onguent, mettras aux pieds deulx au trois gros caillous fort chaulds: ou feras quatre sachets pleins d'orge & toutz chaulds les appliqueras l'vn aux pieds, l'autre entre les cuysses, & le tiers & quart soubz les aysselles. Suffira faire l'inunction vne fois le iour quatre ou cinq heures auant disner, continuãt iusques enuirõ huict iours, que les pustules vlceres & douleurs seront gueries, & la bouche sera dedans fort vlcerée. Aucuns oignent deux fois le iour, de matin & enuiron quatre heures apres disner ou apres soupper, & en tout n'y employent que

qua-

quatre ou cinq iours. Toutesfois les ſcandales qui en ſuruiennent teſmoignent aſſes combien eſt aſpre, & dangereuſe ceſte baſtuite. La maniere de viure icy n'eſt ſi curieuſe qu'a l'vſage du Guaïac. Car lon permet vſer ſuffiſammēt de toutes bonnes viandes bouillies & roſties, & de boyre vin. Toutesfois ſeroit bon leur faire boyre vne fois à diſner, & à ſoupper, de l'eaue ou du vin ou auroit cuyt ou demoure en infuſion le boys de Guaïac. Si le ventre eſt dur, luy feras prendre vn clyſtere. Et ſera bon qu'apres toutes inunctions ton patient preigne quelque medecine laxatiue, pour chaſſer ce qui reſte d'humeurs putrides corrompues & ſuperflues. De la gueriſon des vlceres de la bouche nous dirons apres.

## Des Perfums. Chap. III.

LES perfums de cinabre vexent grandemēt la perſonne, pource ne doibuent eſtre employés a gens delicats & de foyble nature, fors s'ilz refuſent toutz autres remedes. D'icelluy lon faict pouldre ou trociſques auec miſtion de pluſieurs autres choſes qui repriment ſa malice, comme ſont encens, myrrhe, benioin, ſtyrax, ladanum, boys d'aloës, xylobalſamum, carpobalſamum, ſcœnanthum, calamus aromaticus, cyperus, dictamnus, galanga, gentiana, caryophylli, macis, &c. Le moyen de la miſtion eſt, que pour les robuſtes à chaſcune once de cinabre, y fault quatre ou cinq drachmes de correctifs. Pour les de-

delicats suffit qu'a deux parties de correctifs y entre vne de cinabre. Pour les mediocres il y fault pour le moyns autant de correctifs comme de cinabre. Pour bien faire tu te retireras au Medicin, qui suyuant les canons de l'art, & les considerations de la nature du patient, de la constitution de l'air, & des autres circunstances, en fera la proportion. Laquelle tu appliqueras ainsi. Tu mettras ton malade dens vne petite chambre bien close, & le feras asseoir tout nud sur vne selle percée ou autre, tellement qu'il soit aßis hault, & que tout à lentour soit enuironné & cloz de drap comme dens vn pauillon, ou lict bien encortiné. Alors feras brusler dens ladite closture, deux ou trois drachmes de la composition de cinabre. De ce perfum vient si grande sueur au patiẽt, que biẽ souuent il en deffault. Quand il aura asses sué la dedans, tu l'enuolopperas auec des draps chaulds, & le mettras dens le lict, & le feras encores suer vn peu, puys l'essuyeras. Pourras reiterer ce remede deux ou trois fois le iour, selon que la constitution du temps, & la vertu & nature du malade le requerront: & continueras iusques à ce que les pustules, humeurs, vlceres, douleurs seront gueries, & la bouche sera fort vlcerée. Et pource qu'il y a grand danger de syncope, pourras donner au patiẽt deux moyaux d'œufz auant qu'entrer au perfum: & luy appliqueras sur le cueur vn epitheme composé

pose d'vn peu de vin, d'eaue rosé, & de la poul-
dre diamargariti frigidi. En suant außi lon per-
met qu'il sorte le nez hors du pauillon quelque
fois, pour prẽdre vn peu d'air. Et quãd ne peult
continuellemẽt endurer le remede, lon luy don-
ne quelques iours de repos.

## Des Vlceres de la bouche. Chap. IIII.

DES le commencement que la bouche sera vlcerée, tu luy feras gargariser du laict, & puis d'eaue d'orge auec vn peu de miel rosat & diamoron: & consequemment vseras de gargarismes refrigeratifs & desiccatifs, y entremeslant tousiours quelque abstersif, en ceste maniere. ℞ plantaginis, & caudæ equinæ añ manip. j. hordei integri, comarum absinthij, sumach añ vnc ß. corticum malorum granatorum, lenticularum, & nucum cupreßi añ drach. iij decoquãtur in lib. ij. aquæ chalibatæ donec media pars consumta sit, & in colatura dissoluantur mellis rosati, vini granatorum, diamori, & rob de ribes añ vnc. j. mistis omnibus fiat gargarismus. A la decoction duquel pourras mettre quelques drachmes d'alun de roche, si les vlceres sont trop rebelles. Tu pourras außi vser des eaues de rosé, de plantain, & de cheurefueil, auec les rob de ribes, & de berberis, & vn peu de miel rosat. Puis sera bon toucher les vlceres auec du couton trempé en eaue sublimée, ou en eaue forte.

te, corrigée de l'eaue rose, & de plantain. Aucuns s'aydent de l'eaue distillée de ces trois choses, c'estasçauoir de theriaque, de vinaigre, & de l'eaue de vie, tāt d'vn que d'autre. En laquelle destrēpent du bole armene, ou de la terre sellée, & mouillent du couton en ladite mixtion, duquel apres touchent lesdites vlceres. Au lieu de ladite eaue i'ay approué ceste mixtion. ℞ aquarum plantaginis, rosarum, & prunellorum agrestiū añ vnc. j. aceti, & aquæ vitæ añ drach. vj. mellis rosati, & diamori añ drach. iij. theriacæ, boli Armeni, aluminis añ drach. ij: stent aliquot horas super prunas absq; ebullitione, posteà colentur leniter. Dens ceste mistion tu mouilleras du couton, & en toucheras les vlceres de la bouche. Si par ces remedes tu n'aduances rien, fais suer ton malade auec la decoction du Boys sainct, huict ou dix iours, comme à este dit cy dessus. Et garde toy tant que pourras, d'vser icy des autres sueries, qui se font par argēt vif: pource que ces remedes excitent nouuelles vlceres en la bouche, & empyrent celles qui sont desia faictes.

## Des tuberosites, neuds, scirrhes, & semblables durtes & tumeurs. Chap. v.

IL fault guerir les tuberosites, scirrhes, & neuds qui viennent à la teste, iambes, & bras, en ceste maniere. Premieremēt celles qui ne sont

trop dures fault mettre en voye de resolution: les dures fault mollifier & resouldre: & euiter tant que sera poßible la suppuration, que d'icelle n'en vienne corruption à l'oz. Si viennent à suppuration, tu ne feras la cauterisation, comme lon faict auiourdhuy, iusques à toucher viuemẽt à l'oz. Car de cela vient vne grande desiccation à l'oz, tellement que peu apres de luy mesmes se deflore, & rend force escailles : aydant à ce la malice de l'humeur qui pour cela ne reste d'inuader ladite partie, ains la trouuant foyble & imbecille s'arreste la, & la gaste d'auantage. Pource tu mettras ton cautere, non dessus la tuberosite, ains au bout d'icelle seulemẽt qui tend en bas, & l'enfonceras legieremẽt, de sorte que ne touche ni à la tuberosite, ny à l'oz que bien peu. Ce fait tu appliqueras sur lesdites tuberosites & durtes tes remedes exterieurs, tels que verras estre necessaires, & au trou du cautere tes mũdificatifs, y entremellãt tousiours vn peu de theriaque, ou de mithridat : à cause de la venenosite. Si ces tumeurs sont fort dures & grandes, & fort adherantes à l'oz, tu y mettras cest emplastre ℞ radicis bryoniæ, & cucumeris agrestis añ vnc. iij. althææ cum radicibus manip. ij. medullæ radicis ebuli vnc. ij. aquæ fontanæ, & vini flauescẽtis optimi añ lib. ij. decoquãtur vsq; ad consumtionẽ liquorum: posteà exprimantur, & expreßioni addantur pinguedinis humanæ, butyri recẽtis, axungiæ porcinæ recẽ-

tis,terebinthinæ,añ vnc.ij.styracis liquidæ,ammoniaci,bdellij,galbani,oppoponaci, sagapeni, gũmi elemi,& aquæ vitæ añ vnc.j.aristolochiæ rotundæ,hermodactylorum,castorij,thuris,baccarum lauri,mastichis añ vnc. ß. argenti viui cũ saliua exstincti vnc.vj.ceræ q.s.fiat emplastrum molle.Si le mal est aux iambes ou aux bras, tu y pourras employer les perfums de cinabre & des marchasites.

## De la pelade. Chap. VI.

QVAND le poil de la teste ou de la barbe ou des sourcilz tombe,tu fomẽteras le lieu de ceste decoction. ℞ ramentorum ligni Indici vnc.j.myrtillorum,corticis pini,rosarum alb:comarum absinthij,& senæ añ vnc.ß.ladani,aloës, corticis tamaricis, & spicæ nardi añ drach.iij. vini adstringentis lib.j.olei myrtini, & de meliloto añ lib. ß. bulliant in duplici vase ad tertiæ partis consumtionem,& cum colatura calida foueantur partes depiles & deformes. A ce mesmes vault l'eaue rose en laquelle auront bouilli quelques grains de sublimé, principalemẽt si on y adiouste quelque peu de ladanum, ou d'aloes, ou d'escorce de tamarix, & de pomade pour les reduire à forme d'onguent.

## Des ongles qui tombent. Chap. VII.

PAR mesmes remedes fault retenir les ongles qui tombent. Si ne les peulx retenir, tu les feras cheoir bien tost cum unguento basilico ou auec de la farine de froment incorporée auec du beure, & auec la decoction des mauues & des violettes reduitte à forme de liniment. Quand l'ongle sera hors, tu laueras son lieu auec eaue d'orge succrée, puis auec huille d'œufz: & pour en fere reuenir vn autre, tu couuriras ledit lieu de cest oignement. ℞ ceræ nouæ vnc. ij. terebinthinæ vnc. ß. olei rosati vnc. j. misce: fac vnguentum.

## Des fentes & creuasses des pieds & des mains. Chap. VIII.

TV prendras d'absinthe, fumeterre, mercuriale, scabieuse, roses, violettes, fleurs de rosmarin, feuilles d'enula campana, & de lapatium acutum: & en feras decoction en eaue, iusques à la consumption de la moytie, & de la vapeur toute chaude fomenteras la partie ou seront les creuasses: & incontinent y appliqueras cest oignement. ℞ succi limonum, olei de tartaro, & rosati añ vnc. j. aceti scillitici vnc. ß. boracis, & viridis æris, añ scrup. ij. cāphoræ scrup. j. sublimati in puluerem redacti grana. iij. pomatæ quantum satis ad incorporandum: fiat linimentum. Aucuns y employent les perfums de cinabre.

## Des pisſechauldes & vlceres des voyes vrinales. Chap. IX.

EN ceſte maladie l'ardeur d'vrine que les vulgaires appellēt piſſechaude, prouiēt, communemēt des vlceres des voyes vrinales, principalement de la veßie, & de la verge. Deſquelles parties nous tracterōs icy, reſeruāts la cure des vlceres des reins, et des vreteres aux phyſiciēs medicins. Les vlceres de la veßie ont ces ſignes. Grand douleur au pecten, & au fons du ventre, tourment & trauail en piſſant. l'vrine eſt pleine de bourbe, ou l'hypoſtaſe eſt craſſe comme les execremēts du nez, ou comme s'il y auoit de la farine. Aucunesfois l'on y voit parmi quelques eſcailles, ou ſubſtances ſemblables à pieces de lames. Les hypoſthaſes embrouillées comme s'il y auoit du bran, teſmoignent la veßie eſtre galeuſe. Si la purulēce ſort ſeule ſans piſſer, ceſt ſigne que l'vlcere eſt interieuremēt dēs la verge, & non es autres parties. La gueriſon giſt premierement en purgations vniuerſelles. Secondement en abſterſifs. Tiercement en glutinatifs, deſiccatifs, & mitigatifs de l'acrimonie. Les purgations tu requerras du medicin. Puis deux ou trois iours de ſuitte feras boyre à ton patient cinq ou ſix onces d'hydromel commun & clair, ou de la decoction d'orge & de paſſerilles enſemble, trois ou quatre heures auant diſner, pour mōdifier l'ulcere & nettoyer la partie. Apres cela parferas la gueriſon auec ce que

ſenſuit. ℞ amyli, & medullæ quatuor ſeminũ frigidorum maiorum an̄ drach.j.ß.ſeminis plantaginis torrefacti, ſeminis papaueris albi, pulueris glycyrrhizæ an̄ drach.j. granorum alkekengi, pinearum, iuiubarũ, & ſebeſtẽ, omnium aqua ſolani madefactorum an̄ drach. ij. trochiſcorum de carabe, & de bolo an̄ ſcrup.ij. ſyrupi myrtini q ſ. miſce & confice elect. liquidum. Detur magnitudo auellanæ magnæ ieiuno ſtomacho, per ſe, vel cum aquis roſarum & plãtaginis, & in vltima menſa dentur pineæ nucis grana. vij. in aquis roſarum & ſolani macerata. Aucuns vſent d'iniections par ſyringues, en ceſte maniere. ℞ ſeminum frigidorum maiorum contuſorum, pſylij plantaginis, & papaueris albi an̄ drach.iij. roſarum, lenticularum, hordei, iuiubarum an̄ vnc.ß. ſeminis maluæ, & hyoſcyami foliorum, & corticum ſalicis an̄ drach.j.ß. paſſularum cum granis contuſarum, granorum myrti an̄ drach.ij. decoquantur in aqua iuſtæ quantitatis ad tertiæ partis conſumtionem, & colatura inijciatur per ſyringã. Le remede ſera meilleur ſi lon y deſtrẽpe de diagragant, & vn peu de trociſques de bolo, & d'alkekengi. Mais il te fault bien aduiſer que de la continuation des iniections refrigerantes tu ne gaſtes le muſcle du col de la veſſie. Car ſouuent il en tombe en paralyſie, tellement que le patient ne peult apres contenir ſon vrine. L'iniection de laict à pluſieurs intentions eſt bonne.

## Des pustules ou chancres de la verge. Chap. x.

LES pustules de la verge qui ont quelque malignite, pourront estre gueries promptement par ce remede. ℞ æruginis, tutiæ præparatæ abrotani vsti añ drach j. ß. aluminis drach. j. bulliant leuiter in aquis rosarum & plantaginis; posteà colentur. Si la malignite est grande, tu vseras de la poudre de mercure auec de l'alum, & de verdet, les destrempent auec lesdites eaues.

## Des bosses chancreuses ou poulins. Chap. xi.

APRES que ton patient sera saigné & purgé, tu tascheras fere resouldre ou meurir les tumeurs qui viennent aux aysnes. La maturation est estimée icy plus seure. Pour laquelle tu vseras de cest oignement. ℞ rad. bryoniæ, & althææ añ vnc. j. radicis lilij albi vnc. j. ß. decoquantur in aqua ad consumtionem: posteà exprimantur, & expreßioni addantur farinæ tritici, & terebinthinæ añ vnc. j. olei oliuarum antiqui, olei de lilio, axungiæ porci colatæ añ quart. ß. ceræ q. s. fiat vnguentum. Ou tu prẽdras vn moyau d'œuf, & y mesleras du saffran, & de la terebinthine, & vn peu d'huille vieulx, et du sel, & en vseras comme de lautre. Quand la tu-

meur fera meure, tu l'ouuriras, auec vn cautere actuel, ou auec vne lancete: ou s'il craint le fer, tu vseras de ce cautere potentiel. ℞ vitellum oui vnũ, fermẽti, nitri, salis Ammoniaci añ scrup. j. cantharidum, & croci añ scrup. ß. opij gran. iij. misce & reduc ad formam vnguẽti. Huius loco vti poteris oleo ex vitriolo destillato. Auec l'onguẽt qui s'ensuit tu pourras faire l'ouuerture dens six ou sept heures. ℞ vnguenti populei vnc. ß. lapidis hæmatitæ scrup. j. mercurij, aut arsenici sublimati drach. ij. opij gr. iiij. misce & pone super apostema maturatum secundum magnitudinem foraminis, quod facere intendis. Quand l'ouuerture sera faicte tu osteras ledit cauteetre, pour faire tomber l'eschare, mettras à son lieu de beurre auec vne fueille de chou. Mais auant qu'appliquer ces cauteres, il fault mettre quatre doitz de large tout au tour du lieu du cautere, quelqne defensif: qui garde de couler les humeurs qui seront esmeues par la douleur. Pour ceci lon vse communement de bo le armene destrempé auec du vinaigre & d'aulbins d'œufz. Ceci fait & accompli tu mondifieras l'ouuerture auec cest onguent. ℞ farinæ fabarum, & hordei añ drach. iij. pulueris iridis, myrrhæ, aloës, theriacæ añ drach. j. ß. mellis rosati vnc. iij. olei de iunipero, & succi apij depurati añ vnc. j. ß. ceræ q. s. misce: fiat vnguentum. Vel ℞ vnguenti apostolici, & Aegyptiaci añ vnc. j. theriacæ, & mellis rosati añ drach. vj. pul-

ueris mercurialis, quem præcipitatum vocant, & myrrhæ añ drach.j.ß. succi anagallidis depurati vnc.ß. ceræ q.s. misce & confice vnguentũ. Quand l'ulcere sera biennette, tu vseras de basilicum magnum, cum triapharmaco, puis de diapompholigos, de vnguentum desiccatiuum rubeum, & des autres desiccatifz.

FIN.

## CORVINVS MALEZIVS AEMILIANENSIS. Lectori.

Multis nominibus diues felixq; Tolosa
Creditur, auspicijs iuris, sanctoq; Senatu,
Et Cerere et Baccho, glasto, rapidoq; Garumna:
Ditior ipsa tamen medico censebitur vno,
Qui vitam patriæ viuens moriensq; relinquet,
Nec patietur eam immortali laude carere.
Felix illa quidem, Musisq;, & Apolline digna,
Quæ fouet in gremio genitũ de Pallade partũ,
Ferrerium medicum nulli probitate secundum,
Præstantem ingenio, doctrina, atq; arte medẽdi.

## EIVSDEM A. FERRERII versus aliquot Latini.

### IANO PARDELIANO PANlasio, Vincentio Riuano Carp. Bernardo Podio Lucensi vatibus oliuam offerentibus.

Felices ramos, fructusq; feracis oliuæ
Conserite in vestros vsos diuina propago.
Palladis est arbor sacrandis vatibus apta,
Quos rapit ætæereus furor, & cælestis origo
Non finit ingenio vacuas traducere noctes.
Me nihil æthereum mouet, aut cæleste fatigat:
Sed tenet alta quies, somnusq; profund⁹ oberrat
In medijs chartis, quas pingere conor in hortis
Pieridum. me torpor habet, me ignaua voluptas
A Musis procul esse facit, doctaq; Minerua.
Sed vultis forsan placidos perrumpere somnos,
Vt vigili studio scandamus Palladis arcem.
Dux erit hæc arbor, dux arboris auctor Athenæ,
Dux lauro, atq; hedera dign⁹ Durbanus Apollo.

### Antithesis.

Peruigil est Pallas, data sunt mea mēbra sopori:
Suauiter illa canit, nos durè stertimus. illa
Armata incedit, nos stamus semper inermes:
Illa sibi teretes vigilesq; sacrauit oliuas,
Nos et mādragoræ, et capitata papauera cigūt,

Illa Iouis cerebro nata est, nos semine putri.
Vix patimur nostras coniungi fœdere dextras,
Quas diuersa trahũt, vertũtq; in stamina Parcæ.

## De Fato.

Quod veteres fatum tribuêre micantibus astris
Ordine constabat, tempore, lege simul.
Lex erat exemplar fatiq; seuera voluntas,
Ordo sequebatur, tempora legis erant.
Quatuor his totum compleri sortibus orbem
Dixerunt Indi legitimiq; sophi.
Sic tamen vt rerum caussas fatiq; ministros
Mens diuina suo flecteret arbitrio.
Vt possis firmas, quas ponunt sidera, leges
Effugere, & cælum fallere mente pia,
Hoc te Durbanus certa ratione docebit,
Durbanus patriæ gloria prima suæ.

## In nuptiali conuiuio obtulerunt personati Astrologi.

Laniger occumbit, cor cæli Cancer adumbrat,
Ortus habet lances, inferiora Caper.
Centaurũ Saturnus agit, Mars proximus instat,
Lumina cælestis continet vrna duo.
Cũ Ioue blãda Venus Capricorni permeat astrũ,
Mercurius Piscis torpida membra tenet.
Circunstant Hædi, Vultur, Cynosura, Bootes,
Hinc Canis, hinc Serpẽs, hinc Lepus, Ara, Leo.
Sidera nos tacito spectamus euntia cursu,

Ne

Ne mala de fato progrediente cadant.
Vos contrà, Heroës, lasciuis ignibus actos
Immemores cæli detinet vnus amor.
Nec furibũda Capri terrẽt vos cornua, Martis
Nec furor, aut rabidi turgida colla Canis.
Complexum Veneris solùm spectatis, & ignes
Quisq; pharetrato versat amore suos.
Respicite in cælum, sunt plena Cupidinis astra:
Complexum Solis pulcra Diana capit.
Nuper erat Veneri formoso corpore iuncta:
Nuper se sociam iunxerat ipsa Ioui,
Nec Martis radios est dedignata videre,
Nec spreuit pauidi lumina tetra Senis.
Alma Venus Superum patri se corpore iunxit,
Cetera sunt placidis consociata modis.
Quid mirum si vos eadem tractatis vt astra?
Certum est à Superis inferiora regi.

## Phœbus amore saucius ad Gallam.

Galla pharetrati venerabile Numen Amoris
Quæ flammas, arcus, tela proterua geris.
Siste gradũ, et Phœbi specta memorabile vuln',
Quod dedit è radijs vna sagitta tuis.
Fortè Tolosanas cùm viseret ille sorores,
Incidit in vultus insidiosa tuos.
Et velut è cælo delapso fulmine tactus
Corruit, & languens semianimisq; iacet.
Hunc circum tristes fundunt suspiria Musæ,
Intendunt gemitus, dilacerantq; comas.
Inclamant, ô Phœbe pater, quæ tanta potestas?
Quis

Quis tibi de Superis vltima fata parat?
Nónne perennantis Iouis es Latonia proles?
Nónne tuum complet Iuno superba chorum?
Pā Deus Archadiæ resonat tua carmina Phœbe,
Atq; tuos saltus pulcra Diana colit.
Lusit Amor tecum, & Veneris pia numina risit,
Iunxit & æterno fœdere amicitiam.
Quis tandem é Superis temeraria tela retorsit?
Dic age Phœbe pater, quo feriente peris?
Is rediens ad se flagrantibus vndiq; membris
Intremit, alternas exagitatq; genas.
Contrectat manibus barbam, flauosq; capillos,
Et conuulsa tenet lumina fixa solo.
Mox velut é somno surgens, altoq; veterno,
Fertur in has voces, alloquiturq; Deas.
Nostri caussa mali diuina potentia non est,
Inquit, non cælum, terráve facta grauis:
Nō pater omnipotēs, nec Amor, nec Iuno super-
Non magni Heroës, Indigetésve Dij. (ba,
Virginis est radius, quæ cādida Galla vocatur:
Illa, ait, in proprio lumine fulmen habet:
Fulmē atrox, flāmasq; leues, celeresq; sagittas,
Intensos arcus, letiferasq; faces.

## Ad Ferriolum.

Ferreus est nexus nullo violabilis æuo,
Qui cum nominibus pectora nostra ligat.

FINIS.

# INDEX EORVM, QVÆ NOTATV DIGNISSIMA in hoc libello occurrerunt.

*A primam, B verò secundam paginam indicat.*



Ar-

Cor-

Pu-


Vn-


FINIS.

ERRATA.

Pag.7.a.lin.12.lege inſuaue. pag.25.b 19.lege ſalius & 21. ſaluia.






t.
rare
1717



